



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Pars IV. Architecturę Christianaę.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARCHITECTURÆ  
CHRISTIANÆ  
PARS IV.

PRÆFATIVNCVLA.



IDISTIS-ne, Auditores, unquam, Domum integram sine Muris aut Parietibus? non reor equidem. Nam ad integritatem Domus spectant Parietes haud minùs, quàm ad integritatem corporis humani membra principalia, quæ ad compositionem illius conveniunt. Istiusmodi autem in Domo minimum sunt tria, Fundamentum, Tectum, Parietes. Itaque cum Fundamenta Domus Sapientie Sermonibus aliquot sacris explanaverimus: illisq; Columnas, ceterarum partium fulcra, esse superimposita sit demonstratum: de Parietibus seu Muris ejusdem augustissimi Palatii erit inceptus agendum ex instituto. Parietes nomino, vel Muros: nunciet in Architectonica vulgari profana distinguantur; Murus enim à muniendo dictus, propriè est urbis ambitus, Parias morum; tamen in sacris, nullum est eorum discrimen, nisi fortè consideratione inductum. Quod in hac nostra materia potissimum habet locum. Siquidem, Domus Sapientie propter suam amplitudinem, est etiam Civitas: de qua canitur, Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI. Et sanè, si Roma Domus Neronis, quæ ab Esquilias usque ad Palatino & Celio montibus, usque ad Esquilias porrigebatur, hanc speciem referre existimabatur; & etiam-num Vaticanum Palatium, quod in specie Maximi palatium, oppidum potius ab adventantibus videtur, quàm Domus, adeo est amplum, quid de illa existimandum, quod protenditur de mari usque ad mare, & usque ad fines orbis terrarum.

OPVS-




OPVSCVLVM VI.

MURI. PARIETES. TECTVM

*Domus Sapientia.*

Seu

*Aedificii Spiritualis.*



S E R M O I.

P A R I E S

*Domus Sapientia.*

S P E S.

**I**n nominando Parietum septo sequor sententiam Magni Patris Augustini, qui Sermone xxii. de verbis Apost. DOMUS DEI, inquit, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. Existimavit igitur, ut Fundamentum est Fides, ita Parietum rationem habere Spem. Sed illud muneris est Architectonica Christiana, ut declaretur, qua-nam sit analogia inter Spem ac Domus Parietes? ex quam sint hi Muri materiae? cuius crassitiei? quam alti? qua incrustatione obducti? & similia, quae ad Parietum constructionem ex Architectura praeceptis pertinent.

Hh 2

AR-

## ARTICULUS I.

## ANALOGIA I.

*Inter Spem & Parietem.*

**Q**UEMADMODUM in domo parietes è funda-  
 mento surgunt, ita Spes ex Fide, quæ est fun-  
 damentum ædificii spiritualis, nascitur. Do-  
 cet id S. Thomas scholasticè, secunda-secunde  
 quæst. xvii. art. vii. ubi ad quæsitum: *Vtrum Spes precedat  
 fidem?* Respondet probatque, Fidem priorem esse ori-  
 gine, quàm sit Spes: ex fide autem oriri Spem. Rectè  
 enim Augustinus in Enchiridio cap. viii. *Quid sperari po-  
 test, quod non creditur?* Et adfert S. Thomas illud  
 Matthæi i. *Abraham genuit Isaac*, id est, *Fide  
 Spem*, ut inibi Glossa exponit. Per fidem enim in-  
 notescit quid sperare possimus. Et universè dictum est  
 à Paulo Apostolo, *Accedentem ad DEUM oportet credere*. Ita-  
 que primò jacitur fundamentum, quod est fides, ex hac  
 Spes exurgit, ut ex illo paries. Quando ad Religionem  
 Christianam aspirans, nondum sacris nostris initiatus,  
 paulatim, post catechesin, DEUM esse, & liberatorem  
 hominum esse, & gloriam sempiternam diligentibus se  
 paravisse, credit; mox sperare incipit, ejus benignitate,  
 & misericordia, se aliquando, si baptizatus fuerit, &  
 præcepta DEI servaverit, per opera bona, veluti per gra-  
 dus quosdam ad eam gloriam perventurum. Idem, jam  
 Christianus factus, si fide firmiter credat, DEUM ex nihil-  
 lo homines ad imaginem suam creasse, non ut damna-  
 ret, sed ut salvaret, & gloriæ suæ participes faceret. Præ-  
 terea, DEUM homine in peccatum lapsò, Filium è sinu  
 suo

suo unicum misisse, ut natura humana adsumta, hominem redimeret, pro eo satis faceret, ut amicum ac filium, & consequenter, hæredem regni cœlestis constitueret. Denique, si credat, DEUM ita peccatores diligere, ut pro iis voluerit in humana carne, mortem, post crudelissima tormenta, pati, & animam pro iis ponere. DEUM velle omnes homines salvos fieri: omnibus, quotquot sunt, erunt, fuerunt, hominibus, certa ad consequendam salutem, eaque sufficientia media dedisse. Misericordiam DEI & merita Christi Salvatoris esse infinities majora, quàm sit gravitas peccatorum totius mundi: immò, hominum omnium enormia & gravissima scelera ad misericordiam DEI, & merita Redemptoris, esse instar guttulæ decidentis aquæ ad immensum ignem: quocirca quàm facilè immensus ignis absumentillum aquæ, tam facile misericordiam Dei absumere omnia peccata mundi, Christi Passione & Morte interveniente, dummodò homines ex parte sua cum divina gratia se disponant & de peccatis suis doleant.

Itaque ponatur, unum aliquem è numero fidelium reperiri, qui solus tam multa, tamque gravia crimina perpetraverit, quàm omnes simul homines à mundo condito, ad finem usque commiserunt, & committent; istamen, si ex animo doleret de commissis, quod divinam Majestatem, suum summum bonum, per illa offendisset, & firmiter statueret in posterum ab iis abstinere, statim per Christi Domini merirum delerentur omnia, & filius DEI adoptivus, ac regni cœlestis hæres efficeretur, eatenus inimicus, & exclusivissimus. Hæc qui credit, & fide divina, cui non potest subesse falsum. credit, nonne illicò Spē concipit gratiæ, remissionis peccatorum, filiationis, tandemque futuræ gloriæ? Ex Fide igitur, ut ex fundamento, paries Spei, ac murus fiduciæ

exurgit, ut docet S. Augustinus. A quo id acceperunt Doctores Scholastici, (a) inter quos S. Bonaventura, qui cum ceteris adfirmat, Fidem esse similem fundamentum reliquam molem sustentanti in ædificio spirituali, Spem Parieti exurgenti & erigenti, Caritatem Tecto contingenti & consummanti.

(a) S. Thomas 2. 2. q. 17. Valentia disp. 2. q. 1. p. 2. Malderus an. 7. & 8.

## ARTICVLVS II.

## ANALOGIA II.

*Inter Spem & Parietem.*

EST etiam similis Muro, aut Parieti Spes, quod ille ædificium cingit, & à malorum incurſu tuetur: unde Poëtis pro tutelâ ponitur. decantatum est illud Seneca

*Tu praſidium Phrygiſiſis.*

*Tu Murus eras.*

Id verò etiam facit Spes, quæ virtutes, nempe alias Deum Sapientiæ partes ſuo ambitu complectitur, & ad verſariorum impetum repellit. Agnovit hoc Spei officium Ioannes Caſſianus, qui ex ſententia Abbatis Chæremonis ita differit: (a) Tria ſunt, quæ faciunt homines à vitiiſ temperare: ſcilicet, aut Metus gehennæ ſive præſertium legum; aut Spes, atque deſiderium regni cælorum; aut Affectus boni ipſius, amorque virtutum. Nam Timor ita mali contagium legitur execrari: Timor Domini odit malitiam. Spes vitiorum omnium excludit incurſum; nimirum, quia veluti paries ambit ſperantem.

(a) Collat. 11. cap. 6.

Non delinquent omnes, qui sperant in eo, inquit Prophe-  
ta. (a)

(a) *Psal.* 33 23.

## ARTICULUS III.

## ANALOGIA III.

*Inter Spem & Parietem.*

PARIES est Septim, quod in utroque ædium latere,  
domum unam ab altera dirimit. Id quoque præstat  
suo modo Spes. Quod ut intelligatur, & utilitatis ali-  
quid inde hauriatur. OBSERVO. Aliam esse Domum in  
hac vita degentium, aliam ex hac vita ad alteram trans-  
latorum. Illa dicitur *Domus Viatorum*, de qua disputamus:  
hæc in termino consistentium, tum *Beatorum*, tum *Dam-  
natorum*. Quis paries utramque hanc domum determi-  
nat? Non Fides: nam in inferno *Dæmones* etiam *credunt &  
contremiscunt*. (a) Non Caritas: nam in Beatis est Ca-  
ritas perfectissima. Murus dividens est Spes: hoc enim  
solum est in iis, qui nondum ad vitæ terminum perve-  
nerunt. Imprimis enim Beati ævo felici fruentes non  
habent amplius Spem. (b) Siquidem Spes versatur circa  
bonum, quod futurum est, & haberi debet cum aliqua  
difficultate. At beatitudinem jam possident ad cælum  
admissi, neque est illis ardua. *Spes, que videtur*, inquit Pau-  
lus Apostolus, *non est Spes: nam quod videt quis quid sperat*  
ad Rom. VIII. Sensus est, quando Spes videtur, id est, res  
sperata olim, possidetur per visionem Dei, naturali qua-  
dam sequela Spes evacuat, ut jam sperari desinat,

Hh 4 quod

quod habetur. Siquidem Spei nomine Apostolus rem ipsam, quæ speratur intelligit. Simili modo ad Titum secundo, eodem vocabulo utitur *Expectantes beatam Spem*, inquit.

SUBIUNGIT autem ad Romanos quidpiam, quod Spei naturam optimè declarat, si benè intelligatur: Nam *quod videt quis quid sperat?* Hoc si vniversè accipiatur, fallere videtur: nam qui in stadio currunt, propositum vident bravium, & tamen sperant. Sed Apostolus præcipuè loquitur de Spe Theologica, quæ tendit in Deum, quem qui clarè videt, quod fit per visionem beatificam, tenet, ac possidet, atque ita sperare nullo modo potest. Quod si lubet dicere, S. Paulum vniversim loqui de Spe, cuius ea sit ratio, ut possessionem excludat eorum, quæ sperantur, non refragor: cùm verissimus sit sensus: quod quis jam possidet ac tenet, quid sperat? Quod adeò verum existimavit S. Thomas, ut docuerit l. c. ad 4. ut docuerit animas jam beatas ne sperare quidem sui corporis immortalitatem & gloriam, quod eam jure sibi debitam certa expectatione quodammodo possideant.

A quo non dissentirent Philosophi, ita Spem definiētes, ut illam non nisi ad futura, & quæ difficultatem aliquam adjunctam habent, extendant. Gregorius Nyssenus (a) in Philosophicis instructissimus: *Spes*, inquit, *id quod non adest dumtaxat adhibetur*. Aristoteles verò, (b) *Spem* dicit esse, cùm rerum salutarium cogitatione, quæ propè adsunt, neque terrorem adferunt, vel certè longè absunt. Hinc fit, ut quia Deo nihil est expectandū, nec quicquid ei est arduum, aut difficile, Spes ei convenire non possit. Denique, Benedictus XI. Pōtifex Extravag. Cōstitutio-  
ne, quæ incipit, *Benedictus*, expressè definit: Visione Dei, eiusque fructu, actum fidei & Spei, quatenus quidem

(a) lib. de anima, & resur. (b) lib. 2 ad Theodect. cap. 5.



sunt virtutes Theologicæ, evacuari. Porro, quomodo, vel habitus Spei, vel actus secundarii illius maneat in Beatis in Exercitationibus Theologicis examinavimus.

JAM verò, idem Spei septem distinguit domum viatorum à damnatorum habitaculo: nullam enim Spem Salvatoris habent damnati, quibus non est amplius possibilis adquisitio beatitudinis: & ad gravitatem miseriæ ac pænæ ipsorum spectat, ut intelligant, se nulla ratione posse pervenire. Quemadmodum securitatis Beatorum est, intelligere, quod non possit Beatitudo semel parva amitti: & ubi ceciderit lignum, ibi sit mansurum, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ut inquit Ecclesiastes cap. xi.

ET quoniam Animæ in purgatricibus flammis cum viatoribus quadamtenus commorari videntur, quia ad metam nondum pervenerunt, idcirco communis est ijs Spei sub eodẽ tecto paries. Existimo enim animas illas, quamvis in igne acerrimi doloris detentas, certas esse de sua salute, certitudine tali, quæ timorem quidem omnem, quo nobis hic viventibus sunt felicitates, non tamen omnem spem excludat. Siquidem Beatitudo est iis futura, non præsens, ac proinde non tollit expectationem: est etiam ardua, quoniam per gravissimas pænas ad eam pervenient: atque idcirco illorum ibi commorantium expectatio dicitur Spes; licet non sit contingens, sed necessaria, quia non possunt amplius ab ea excidere: & ideò tollit omnem timorem. Hoc plane insinuare videtur Ecclesia, dum per sacrificantem orat in Canone Missæ: *Memento Domine, famulorum famularumque tuarum, quæ nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Profectò, quæ dormire dicuntur, & placidè dormire, non sunt tam anxie ut desperent, sed

H h s habent

habent admixtam cum summis cruciatibus consolatio-  
nem inexplicabilem propter certam Spem salutis.



## SERMO II.

### *Materia Parietis, qui est* S P E S.

#### ARTICULUS I.

*Parietes varii generis, diversitate à Materiâ desumptâ.*

**V**T declaretur ex quâ-nam sit materia Par-  
seu Murus Domus Sapientiae, qui Spes dicitur,  
tur, sumo ex Architecturâ Vitruvii, non tantum  
generis esse Parietes, quoad materiam. Alii  
enim, & antiquissimi, sunt lateritii, structi ex lateribus  
crudis, sole tantum coctis & duratis. Est enim apud  
Vitruvium, later alius crudus, alius coctus, idemque testaceus,  
rigens & sonans, velut testa videlicet. Crudi duriti-  
mæ soliditatis, & ad diuturnitatē ædificiorum egregie  
præstare usus existimantur. Lateritia autem structura  
publicis, privatis, regalibus etiam ædificiis utebantur  
olim: quod enumeratione copiosa demonstrat Vitruvius  
& ex eo totidē penè verbis, suppresso nomine, Plinius  
ne quis miretur similia è recentioribus fieri, Græci, inquit,

(a) Vitruvius lib. 2. cap. 8. (b) Plin. lib. 35. cap. 14.

præterquam ubi è silice fieri poterat structura, parietes lateritios præulere: sunt enim æterni, si ad perpendicularum fiant, ideo & in publica opera, & regias domos adduntur. Sic struxerunt murum Athenis, qui ad montem Hymettum spectat. Sic Patris ædes Iovis & Herculis: quamvis lapideas Columnas, & epistylia circumdarent. Domum Trallibus regiam Attali. Item Sardibus Cræsi, quam gerusiam fecere. Halicarnassi Mausoli, quæ etiam nunc durant. Lacedæmone quidem excisum lateritius parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ ligneis formis inclusum Romam deportare in ædilitate ad comitium exornandum Muræna & Varro Quod opus cum per se mirum esset, translatum tamen magis mirabantur. Addit Plinius, Romæ non fieri ædificia istiusmodi, quod sesquipedalis paries, non plus quam unam contignationem toleret, cautumque sit, ne communis crassior fiat, nec intergerinorum ratio patiatur. Quod fortasse antiquitus fuit receptum: mutatum postea, nam lego Augustum Cæsarem, Romam ex lateritiâ marmoream reddidisse. Nunc verò, Romæ ædes tum sacræ, tum profanæ, eaque amplissimæ sunt lateritiæ, inter ceteras, Ædes IESU Salvatori erecta Societatis nostræ, qua vix ulla extat Urbe tota postquam à D. Petri discesseris, augustior.

PARIETES alii cõstituuntur ex duro lapide, silice vel marmore quadrato, aut alterius figuræ. Est & Paries formaceus, qui duabus tabulis circumdatus, tanquã in formam infercitur: Isidoro dicitur *formatus*, seu *formatius*. De Hamamensibus populis retulit Plinius, domos sale montibus suis exciso, ceu lapide, construere. Pygmæos autem suas casulas luto, pennis, ovorumque putaminibus condere. O muros ferreos! Est quidam *Parus* dictus *Cratitius*, qui nempe, ad similitudinem Cratis, ex arre-tis transversisque cannis, arundinibus, aut perticis, lignis-ve componitur, & velut contextitur. *Cratiti velum*,  
inquit

inquit Vitruvius, *ne inventi quidem essent; quantum enim  
 leritate, & loci laxamento profunt, tanto majori, & commo-  
 sunt calamitati, quantum ad incendia, ut faces sint parati.* Plu-  
 ribus eosdem vituperat idem Architectus libro secun-  
 do, cap. VIII. Ex quâ verò materiâ constet Paries Spei  
 innotescet, si quomodo in altum educatur docuer-  
 mus.

## ARTICULUS II.

## P A R I E S -- S P E S


*Quomodo exsurgat, & firmetur.*

**V**T Spei Paries erigatur, requiritur imprimis fun-  
 damentum, sive fulcrum Fidei: hæc nisi primò firmetur,  
 nunquam Spes confurget & stabilietur. De Muro  
 civitatis illius, quam vidit Joannes Apostol. Apocalyp-  
 XXI. & Ædificium spirituale, præter Jerosolymam celestem,  
 denotabat, scribit veridicus inspector: *Erat ædifi-  
 catura Muri illius ex lapide Iaspide.* Ubi, cum exprimat  
 lapidem, reor de fundamentali loquutum. Iaspidem,  
 gemma semper virens, magnæ firmitatis Fidei  
 designat, ejusque inconcussam constantiam, quæ  
 pro Spei substernenda est. *Fides*, inquit Paulus Apo-  
 stol. *Ad Hebr. XI, 1. est sperandarum substantia,* seu fundamentum  
 rerum: Fides docet Christum venisse, ut peccatores  
 vos faceret. Hinc prima salutis Spes. Ex eo colligitur  
 Theologi, in hæreticis, vel ob hanc causam, non potest  
 esse Ædificium spirituale virtutum, quod in eis Spei  
 rones non possit extrui. Carent enim Fide divinitus  
 fusâ, à quâ omninò, ut à fundamento Paries Spei  
 pendet.

pendet. Rectè enim, atque orthodoxè S. Augustinus in Enchiridio cap. VII. æquè Spem atque Caritatem negat posse consistere sine fide. *Fides*. inquit, *credit. Spes & Caritas orant, sed sine fide esse non possunt.* Et cap. VIII. *Neque amor, ait, sine Spe est, nec sine amore Spes: neque utrumque sine fide.* Quocirca, ut illa, quæ putantur credere, & dicunt se credere hæretici, non credunt per supernaturalem & Christianam fidem, quæ est virtus divinitus infusa, sed per naturalem quandam & adquisitam; ita neque ea, quæ sperant, si modò sperent aliquid, sperant per virtutè Spei Christianam, & supernaturalem, sed per Spem quandam in se verè desperabundam: certè, naturalem duntaxat, & usu quodam adquisitam: à qua, utpote infirma & debili, facilè decidunt in desperationè. Quamobrem non est existimandum, Spem transnaturalem solum corrumpi per contrariam desperationem, aut subiecti corruptionem, sed etiam everto fundamento suo, quod est fides supernaturalis; aut Deo desinente conservare; aut quando bonum, quod sperabatur, non apprehenditur, ut possibile ad obtinendum per verum Dei auxilium, sed per phantasticum, aut imaginarium, voluntate humana excogitatum. Quod, secùdum nostram Theologiam, est sperare in homine. Quare, non tantùm Pelagiani, qui propriis, seu naturæ viribus sperabant salvari; sed Lutherani quoque, qui absque meritis sperant salvari per solam Fidem suam specialem, dicendū sunt sperare in creatura, vel homine, atque idcirco in vanum.

FIDEI ergo Christianæ jacto fundamento, reor e-  
quidem, PARIETEM-SPEM omnes optimorum Parie-  
tam habere qualitates. Et imprimis, partim esse *aneum*,  
partim *lapideum*, ex marmore, partim *lateritium*. Decla-  
to. Primæ partes & imæ Parities Spei sunt ex ære. Ani-  
madver-

madvertistis, fortasse in magnis quibusdam palatibus  
 fundamēto collocari solitos majores lapides coronæ in  
 modum, quibus ceteri superponuntur. Simile quid fit in  
 ædificio spiritali Virtutum Christianarum. Fide divina  
 in anima firmata prima pars parietis est instar Coronæ  
 æreæ Duobus enim nititur Spes, quæ Æris symbolo re-  
 primuntur: nempe, Promissione DEI, & Iure-iurando  
 hæc enim lapidibus omnibus aliis supponuntur, & quæ  
 quid est superius locatum sustentant, faciuntque ut fir-  
 missimus sit *Parietis-Spes* paries, & maximè longævus  
 utrumque est ære perennius. Ita docuit nos Apostolus  
 Architecturæ sacræ optimus magister. *Ad Hebræ. vi. 17.*  
*Volens, inquit ille, ostendere Pollicitationis hereditatis immu-*  
*bilitatem consilii sui, interposuit Ius-iurandum, ut per duas*  
*immobiles, quibus impossibile est mentiri DEUM fortissimus*  
*latium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam Spem.*  
 Ex quibus deducitur, Spem Christianam niti primo  
 quidem Promissioni divinæ, quæ infallibilis est: deinde  
 Iure-iurando DEI, quo utitur DEUS aliquando: sive  
 humanæ imbecillitati consulat, siquidem homines  
 sperant firmiter, nisi quod iure-iurando est confir-  
 matum; sive, ut suam in genus humanum propensissimam  
 voluntatem magis, magisque declaret; denique, ut  
 consilii immutabilem rationem manifestet, sicque Spem  
 mortalium firmiorem faciat. Quis enim vacillet in  
 illius rei, quam intelligit non tantum pollicitatio-  
 ne divina, sed sanctissimo quoque juramen-  
 to ab immutabili DEO addictam  
 sibi?



## ARTICULVS III.

## MISERICORDIA DEI

*Quomodo se habeat ad Spem, quæ Parietem.*

QVONIAM pollicitus est hominibus DEUS, quod minimè illis debebat, ex Misericordiâ, idcirco hæc meritò concipitur, ut *Nexus* ærei illius fundamenti, quod Coronæ instar, imam Parietis Spei partem ambit. Quare plurimum debet Spes Misericordiæ, qua subtracta paries ille facillimè corruit. Hinc S. Bernardus Sermone LXI. in Cant. ubi differit de divitiis Divinæ Misericordiæ in foraminibus Vulnerum Christi, *Meum*, inquit, *meritum*, id est, initium, basis, fulcrum confidentiæ, Spei, meritorum, est *miseratio Domini*. *Non planè sum merita inops, quàm diu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordia Domini multa, multus nihilominus ego in meritis sum.* Et præclare S. Hilarius in Psalmum LI. *Non enim illa ipsa Iustitiæ opera sufficerent ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi Misericordia DEI etiam in hac Iustitiæ voluntate humanarum demutationum, & motuum non reputaret vitia.* Spes igitur in misericordia DEI in seculum seculi. Nimirum, admiscetur bonis fidelium operibus multæ imperfectiones, defectus, peccata, quamvis venialia, quæ indigent misericordia Domini, DEI que indulgentia & remissione, ut beatam nostram Spem assequamur & salvemur.

Huc spectat in genua illa confessio S. Augustini libro tertio contra Cresconium cap. VII. *Ad existimationem magnum magna testium, qui me noverunt suppetit copia: ad DEI verò conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminaciones cum intrepidam geram; non me tamen sub oculis*

*Omnip-*

Omnipotentis justificare audeo, magisq̄ ab illo affluentem misericordie largitatem, quam Iudicis summum examen expecto. Et illud S. Ambrosii, qui in extremo vitæ suæ ita circumstantes alloquebatur, ut refert in ejus vita Paulinus: *Nec sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Quæ verba S. Augustinus, ut narrat Possidonius, & admirabatur & laudabat, dicebatq̄ ab Ambrosio prolata, ne præfidens crederetur de sum purgatissimis moribus præsumere: Spem enim suam maximè in Misericordiæ divinæ fundamento locandam non ignorabat. Est etiam S. Bernardi illa observanda doctrina: Epist. XLII. *Utilissimum esse coram Deo non justitiam prætere, sed misericordiam postulare.* Didicerat scilicet orandi formulam Domino gratissimam, quam usurpabat Propheta Daniel cap. ix. *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

## ARTICVLVS IV.

## MERITA CHRISTI

*Sunt Lapidés Parietis Spei.*

CORONÆ hætenus descriptio imponuntur firmissimi Lapidés, & saxo quolibet quadrato fortiores ita vocor. MERITA CHRISTI Salvatoris Nostri, ex quibus *Spes-Pariés*, tanquam lapidibus, construitur. De his lapidibus accipio illud Tobiaë XIII. de prædicantis puritatem & simplicitatem Ierusalem: *Ex lapide precioso constructus circuitus murorum ejus.* Quid preciosius sudore, Sanguine, meritis Christi? Ob hanc causam CHRISTUS dicitur

SPES



SPES nostra. Ad Coloffensēs primo cap. *Christus in vobis*  
*Spes gloria, quem nos annunciamus: id est, Christus suis labo-*  
*ribus, doctrina, sudore, passione, meritis, Parietem Spei*  
*in vobis erigit. Et i. ad Timoth. i. Paulus Apostolus secun-*  
*dum imperium DEI, & Salvatoris nostri, & IESV Christi*  
*SPei Nostræ. Quomodo Christus dicitur Spes Nostræ: Pri-*  
*mò quidem quia est causa Spei nostræ, tum objectiva,*  
*& materialis, ut loquuntur Theologi: siquidem spera-*  
*mus Christi visione & fruitione beari: tum effectiva &*  
*meritoria: speramus enim per Christum, ejus gratia,*  
*passione, ac Meritis salutem nos consequuturos: tum fi-*  
*nalis, quoniam finis Spei nostræ ac patientiæ, & omnis*  
*virtutis est Christus. Deinde verò, quia Meritis Salvato-*  
*ris erigitur in nobis Murus Spei inexpugnabilis inimico-*  
*rum insultibus. In Christo & per Christum bona omnia*  
*sperantur. Animosè S. Bernardus in conflictu verbali,*  
*seu alteratione cum Diabolo, dixisse fertur: Fateor, non*  
*sum dignus ego, nec propriis possum meritis obtinere*  
*regnum cœlorum. Ceterùm Dominus meus duplici ju-*  
*re illud possidens, hereditate Patris, & Merito Passionis,*  
*altero ipse contentus, alterum mihi donat. Fidebat ergo*  
*maximè in Meritis Christi.*

Quod etiam faciebat S. Catharina Senensis, quam  
 cum Dæmon ad desperationem deducere conaretur,  
 increpando de vita pessimè acta, illa liberè professa est:  
 Vera sunt, quæ dicis, & ego me peccatricè fateor. Verū  
 Domini Vulnerum recordor, in quibus OMNEM SPEM  
 meam reposui. In Domini Vulneribus abscondar: & ejus pre-  
 cioso sanguine abluam animam meam, & omnia peccata mea de-  
 lēbo. Confuderunt tam generosi pectoris verba adver-  
 sarium, immò velut totidem saxa in fugam egerunt. Iis-  
 dem armis cum hoste configere assuetus S. Bernardus,  
 frequenter suos admonet, ut omnem suam fiduciam

Quarta Pars.

Ii

con-

constituant in Meritis Passionis & Vulnerum CRUCIFIXI: & dicant confidenter: Merita mea Vulnera Domine. Tua merita mea sunt: in illis SPERO, in illis confido: in illis ego ex me pauperimus, ditissimus sum. *Serm. XI. in Cant. Ego fidenter, quod ex me mihi deest, affertur mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus eius & pedes, Latusque lancea foraverunt. Et per has rimas mihi sugere mel de Petra, oleumque de saxo durissimo: id est, stare, & videre quam suavis est Dominus. Copiosa redemptio datur est nobis in Vulneribus JESU CHRISTI, Salvatoris nostri, magnæ multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ ac perfectio Virtutum. Sic igitur MERITA CHRISTI D. veluti lapides, ex quibus constructur PARIES-SPES, confidero.*

## ARTICVLVS V.

## OPERA BONA

*Seu Merita fidelium proborum sunt, veluti Lateres ad Spem, quæ Parietem.*

**L**APIDIBUS istis innectuntur LATERES. Sic apparet Opera bona fidelium, facta in Christo, quæ sunt Merita vitæ æternæ: ex quibus Murum Spei lateritium componi mihi persuadeo. Spes enim Christiana, constructa posita fide, & misericordia ac pollicitatione DEI, & Meritis Salvatoris, operibus etiam bonis fidelium constructur. Cujus contrarium pessimi in Architecturâ sacra dascalii, hæretici nostri temporis profitentur. Qui dicunt, hominem Christianum non debere ullo modo Spem salutis collocare in bonis suis operibus quam per gratiam Christi factis. Ita passim asseruit, scripsitque

Luthes

Lutherus, idemque propugnavit Calvinus lib. tertio Institut, cap. xii. §. 3. & 4. in quibus acriter contendit, nullam in propriis meritis fiduciam esse collocandam. Calvino adhærent affectuæ, & alii hujus ævi sectarii. Sed nos habemus firmiorem quem amplectimur, Propheticum sermonem, quo erudimur, Vitam æternam esse mercedem bonorum operum: præmium cœleste conferri hominibus secundum mensuram & proportionem operum: DEUM, ut justum judicem, regnum cœlorum, velut debitum præmium ex justitiâ Bonis operibus reddere, ex quibus Spes confurgit. *Fiducia magna erit coram DEO.* inquit Tobias cap. iv. *elemosyna, omnibus facientibus eam: Clarissimè Rex David: Psal. xvii. 21. 22. Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à DEO meo. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli à me. Si iniquitatem, qua est in manu tua abstuleris, dicitur Iobi xi. & non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam, & habebis fiduciam proposita Spe.*

SED quoniam Opera fidelium Naturam respicere possunt, & Gratiâ Christi, quomodo sint, veluti lateres, ad Spei-Parietem idonei, docet Paulus Apostolus ad Corinthios scribens, quos monet, ne insistant operibus, ut sunt naturæ fœtus, sed ut gratiæ. *Fiduciam, inquit, talem habemus per Christum ad DEUM, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* 2. ad Corinth. 3. Quibus disertè explicat, quatenus sive cogitationes bonæ, sive actiones studiosæ ad Spei-Parietem constituendam concurrunt: nempe, nō ut sunt ex nobis, seclusa à DEI gratiâ, sed, ut sufficientia nostra, & valor actionum ad salutem comparandam ex DEO est. Itaque, prout operationes illæ, sunt

liberalitatis, ac munificentiae divinae beneficia, extruunt Murum Spei ac fiduciae Christianae, tanquam materia. Nos autem ut cooperatores quidam Architectae supremi, & illius murarii, ejus auspiciis & subsidio, eodem producimus, & ad parietem componendum apud nos. Quo sensu bene dixit S. Basilius: lib. de Spir. S. cap. 24. *Homo ex operibus justitiae salvatur.*

NEQUE, nisi ab ignaro omnis bonae Theologiae dicitur potest, in Christi injuriam cedere (ut obijciunt ad verberarii, simplicium se ductores, quod sibi persuadeant Christiani, Catholici, Papistae, Bona opera ad Parietem-Spei extruendum adhiberi, quasi non sufficiant Christi Servatoris Merita. Siquidem merita Justorum non opponuntur meritis Christi sed illis originem suam habent; & quicquid in eis est laudabile redundat in laudem meritorum Domini. Ipse enim est *Vitis, nos palmites* Joan. xv. *Et sicut palmes non possunt fructum, nisi manserint in vite, sic & nos nihil possumus sine Christo facere.* Quis autem dicat, detrahi de gloria Vitis, si palmites ejus sint fecundissimi, & nultum fructum adferant? Eiusdem autem sapientiae est, asserere, quod detrahatur de gloria Christi, si servi ejus per gratiam ejus, per fidem, ejus dono infusam, per Caritatem, ejus beneficio inspirata, per spiritum ejus munere in corde diffusam, abundant bonis operibus, quibus debeatur corona justitiae. Quae haec est deliratio?

## ARTICULUS VI.

## ANALOGIA

*Operum bonorum cum Lateribus.*

BONA fidelium opera *Lateres* appellamus. Attendatur, quid sint, & quomodo conficiantur, apparebit convenientia. Substantia Lateris est terra, lutum, gleba

Sole

Sole vel igne coctus duratur, & lapidis instar, fit idoneus ad extruendum parietem. Humana mortalium, quamvis Christianorum fidelium, opera, si in se spectentur, sunt terrea & lutea, nihil habet præclari, nihil nobilitatis, nihil cœlestis illius venustatis, ac proinde cœlesti gloria non sunt dignæ. Pronunciat id Paulus, & verè, quia divino afflatus spiritu ad Romanos VIII. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis: hoc est, si cuncta, quæ in hac vita perferri possunt mala, cum cœlesti Beatorum gloria comparentur, neque ratione substantiæ, neque ratione aliorum, quæ ipsius conjunguntur in eodem genere, illi respondent. Nimirum, actiones humanæ si considerentur, non quæ manant à gratia, sed quæ ipsæ per se viribus humanis eliciuntur, nihil merentur, nihil adjumenti adferunt ad vitam æternam: immò indignæ sunt ad tale, tantumque præmium. Quo nomine, Pauli illo testimonio nixus, indignas appellat Augustinus diversis locis. (a) Et S. Bernardus acutè plura complectens: *Non sunt condigna passiones hujus temporis (omnes vitæ præsentis labores ætæ, molestiæ) ad præteritâ culpam, quæ remittitur, ad præsentem consolationem gratiæ, quæ immittitur, ad futurâ gloriâ, quæ promittitur nobis.* Si verò coquantur, tum radiis solaribus divinæ gratiæ, tum in Caritatis fornace, divinæ benevolentiæ flammis succensæ, durantur in Lateres firmissimos Meritorum, & sunt ad Parietem-Spei maxime idonei. Nam sic, id quod in præsentem est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Siquidem actio hominis fidelis ex gratia, & unita gratiæ meretur vitam æternam. Quanta inde Spes, & quàm magna fiducia? *Sicut oleum,* inquit Auctor Operis imperfecti.*

(a) lib. 5. de civit. c. 8. lib. 35. q. 85. (b) S. Bernard. in ps. 50.

fecti. Hom. 15. in Matth, accendit lumen lucernæ; ita bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ. Hinc ad bona opera alacriter exercenda incitat fideles S. Cyprianus: *Praclara aïens, res & divina est, Fratres carissimi, salutatio, solatio, solatio, um grande credentium, securitatis nostræ salutatio, praesidium, munimentum SPEI, tutela fidei, medela peccati.*

## ARTICULUS VII.

## SIMILITUDO LATERUM

*Quibus Operum Bonorum generibus potissimum conveniat.*

**Q**VÆ nam, dicat aliquis, sunt illa Opera, quæ, velut Lateres, Parietem-Spei constituunt? Varia reperitur in sacro Codice, sed primum locum obtinet, laborum in Dei causa susceptorum Tolerantia: aut voluntariam calamitatum perpeffio. *Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem,* inquit Apostolus I. ad Corinth. cetero. Item, *si compatimur & conglorificabimur* ad Romanos VIII. Quæ ferè semper conjungit S. Paulus, ut ostendat tunc demum Murum-Spei in nobis erigendum, cum plurimos labores in patientiâq; lateres divinæ gratiæ nexu copulaverimus. Atque ita colligit ad Romanos VII. eos, qui Christi Patientiam imitantur, fore etiam beatitudinis, & ejus gloriæ participes, ac sic firmiter sperare posse. *Si, inquit, complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus; Si autem, paulo post reperit, mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul vivemus cum Christo.* Et in altera ad Corinthios primo cap. *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Verissimum est illud: *Per multas operationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Actorum XIV.

QVA

QVA de causa cū in Epist. ad Hebræos idē Apostolus primos gētis suæ fideles collaudasset, q̄ vinctis cōpassi essent, & rapinam bonorum suorum cum gaudio suscepissent, subdit ad Hebr. x. 35. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem, ut voluntatem DEI facientes, reportetis promissionē.* Nolite, inquit, amittere confidentiā. Græca vox emphasis habet, ἀποβάλλετε hoc est, ne abijciatis Spem & confidentiam, quam ex rebus fortiter gestis, & malorum tolerantia: vobis, ut Murum firmissimum erexistis. Erat enim, ut commentatur S. Chrysostomus, magna eorum apud DEUM confidentia, Græcè πρὸς ἐπιτομία. Cujus specimen egregium Paulus ipsemet præbuit, quādo scripsit ad Timotheum: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo, et posita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus, secunda ad Timoth. iv.* Tum subnequit in epistola ad Hebræos: *Patientia vobis necessaria est, Græcè ὑπομονήs, cuius loco Latinus Interpres ponit Patientiā, non tantum malorum tolerantiam significat, sed patientem expectationem, quando Spe præmii duramus in malis, & nos rebus melioribus servamus.*

## ARTICULUS VIII.

## LATERES PATIENTIÆ

*Quo-nam Igne coquantur.*

DEVM modum exædificandi *Parietem lateritium Spei* exponit, tāquam Sapiens Architectus, Paulus Apostolus, præmittit, se in rerum adversarum tolerantia,

seu tribulationibus gloriari potius, quàm fatigari  
frangi, tum ita differit, causam ejus reddens, ad Rom.  
nos v. *Scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia  
autem probationem, probatio verò Spem.* Qua gradatione  
quæ, meo judicio est accurata admodum, ostendit, quomodo  
modo supremus Architectus in hominibus Parietes  
Spei erigit. Nam primùm operationes humanas velut  
terram argillosam igne coquit. Quis ille Ignis? Tribulatio,  
quam appellari ignem in divinis litteris notissimum  
est. Sic interpretamur illud: *Transivimus per ignem & aquam  
& eduxisti nos in refrigerium.* Psal. LXXV. Et, *Cum ambulaverimus  
in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te,* Isaie XLII.  
Illud etiam: *Liberasti me a pressura flamma, quæ circumdedit  
me, & in medio ignis non sum estuatus,* Ecclesiastici LI. Hoc  
modo Tertullianus libro IV. contra Marcionem exponit  
illud Christi D. Luca XII. 49. *Ignem veni mittere in terram,  
& quid volo, nisi ut accendatur?* ut ignis afflictionum  
resque adversas significet. Nimirum, præmunire voluit  
Christus Discipulorum animos ad ferendas fortiter persequutiones,  
quo animo magis a quo eas ferrent, dicit se ipso mittendas esse,  
id est, suo permisso, & propter hoc *Ignem veni mittere in terram:*  
nempe, me conscio, & non impediente, quod vobis in bonum  
cedat, tribulationes obvenient. Id aliis verbis repetit Dominus  
eodem capitulo inferius: *Putatis quia veni pacem dare in terram:  
non dico vobis sed separationem.* Et Matthæi X. *Non veni pacem  
mittere sed gladium.* Tam autem separatio, quàm gladius, denotat  
Tribulationem, cujus sunt symbola.

TRIBULATIO igitur, dum patientiam operatur, architectonicè loquar, ignis lateres coquit, ad Speculum extruendum.  
Nam tribulationem patientiam operari, non est aliud, quàm patientiæ desideria, & animi  
destinationem ad quilibet ferendum durare, ac velut



in Laterem, qui non frangatur, ignis virtute cœlestis cogere. Et observate hic, quæso vos. Quemadmodum idem ignis lutosam terram indurat, & facit laterem, ceram verò, ac metalla dissolvit & facit mollia; ita Tribulationem eandem à Deo in ossa mortalium immisam, pro diversa conditione hominum, indurare, & mollia efficere: patientiæ & impatientiæ effectricem: bonis robur fortitudinemque addere, malis diffidentiam timiditatemque generare. Notavit hoc discrimen S. Bernardus epistola xxxii. ad Abbatem S. Nicasii, in quâ gradationem gradationi opponens, *si ut Sanctis*, inquit, *& Electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio Spem: Spes autem non confundit: sic, damnandis è contrario, tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatione desperationem: desperatio autem interimit.*

JAM verò, Patientiæ Lateribus excoctis, dum unum patiendi actum alteri aptè nectit Architectus Christianus, ostendit imprimis, quantum in fidei documentis profecerit, tum demonstrat animi robur ac fortitudinem. Atque ita Patientia dicitur gignere probationem, dum patientia rerumque adversarum tolerantia probitatem, constantiamque viri declarat. Ita ferè V. Beda, (a) qui Patientia, inquit, probationem operatur, quia ille, *cujus patientia non vincitur, perfectus est, & probatus.* Rursus, Probatio Patientiam operatur, quia facit fideles per patientiam exerceri & per hoc fides ipsorum quàm sit perfecta probatur. Sic tandem longa patientiæ exercitatione Spei Murus constituitur. Siquidem *probatio operatur Spem*, inquit S. Anselmus, (b) *quia unusquisque ex eo, quod per tribulationes insuperabilis probatus est, incipit habere Spem, id est, certitudinem divinæ gloriæ, quæ humane rationi vana videtur, sed testimonio virtutis firmatur.* li 5 AR-

(a) Tomo v. in fine. (b) S. Anselm. in c. 5 epist. ad Rom.

## ARTICULUS IX.

## LATERES SYMBOLICI

*Humilitas, Firmitas, Varietas.**Ad Parietem Spei erigendum adhibendi.*

**S** BERNARDUS in libello moralium sententiarum tria Laterum genera ad Spei Murum perficiendum congerit: *Spem, inquam, nostrā triplex ratio discutit & roborat. Humilitas collata Sapientia: Firmitas constantis patientia. Veritas inspirationis occulta.* Ex quibus & similibus, quo modo Spes concipiatur, & roboretur, seu Spei Murum constituatur, multis eleganter deducit, At verò, s. Gregorius exponens officium seduli in Ecclesia operarii, de quo dici potest, quod est Jobi VII. *Sicut dies Mercenarius dies ejus.* Ita disserit de hoc ipso argumento lib. VIII. Moralium. *Electus quisque vitam suam, quasi dies Mercenarius pensans, tanto fidentius Spe tendit, quanto nunc robustius perstravit ad laboris incrementum. Qui si de cursu presentis temporis pensat, dies cum operibus numerat: ne à labore vacua transcurrant vite momenta formidat. Adversis gaudet, passione reficitur, in rorerefovetur: quia subsequenti vite premiis, tanto se remunerari largius conspicit, quanto pro amore illius quotidianis mortificationibus verius impendit.* Hinc namque est, quod cives supernae patriæ Conditori ejus Psalmistæ vocibus dicunt: (a) *Propitius, Te mortificamur tota die.* Hinc S. Paulus: (b) *Quotidie mortificamur propter vestram gloriam Fratres.* Hinc iterum dicit: (c) *Ob quam causam hæc patior: sed non confundor: Scio enim quod non deperdi credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare illud.*

(a) Psal. 43 (b) 1. Corint. 15. (c) 2. ad Timoth. 1.

illum diem. Sancti igitur Viri, quot labores nunc Veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis pignora inter SPEI CUBICULUM clausa tenent.

## ARTICVLVS X.

## SPES MVRVS ÆREVS.

*Æs bona Conscientia. Æs solidum, durum, incorruptibile.*

**A**D SPEI Parietem erigendum non *Lapides* solum & *Lateres*, verum etiam *Æs* adhibetur: est enim is parte aliquâ *Æreus*. Qualem Murum nominat Sacer scriptor Jeremiæ I, *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & Columnam ferream, & in Murum æreum.* Quod-nam illud *Æs*? *Bona Conscientia*, quæ vel ipsa sola Murus æreus dici potest.

*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

*Hic Murus aheneus esto.*

Siquid autem est, quod Parietem Spei firmat, est **BONA CONSCIENTIA**. *Si cor nostrum*, inquit B. Joannes, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM.* Bona Conscientia cum fiduciâ Murum componit. Unde S. Augustinus præfat. in Psalmum xxxi. *Quomodo mala Conscientia tota in desperatione est, sic BONA Conscientia tota in Spe.* *Et erunt tria hæc, de quibus dixit Apostolus, Fides, Spes, Caritas.* Alibi tria etiam nominat, sed pro Spe Conscientiam Bonam ponit: ille enim sperat, qui Bonam Conscientiam gerit. *Finis enim præcepti est Caritas de corde puro & Conscientia bona.* Quem autem pungit mala conscientia retrahit se à Spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; & ut habeat bonam conscientiam, credat, & operetur: quia quod credit fidei est, quod operatur, caritatis est. Et  
quo-

quoniam *Bona Conscientia* nascitur ex bona vita bonique operibus, postquam B. Joannes dixit, Epist. i. cap. 3, *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam, παρρησίαν, habemus ad DEUM*; subjungit: *Quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus.* Simili modo Paulus Apostolus Bonæ Conscientiæ bonam vitam copulat, in alterâ ad Corinth. i. cap. *Gloria nostra hæc est, Testimonium conscientie nostræ, quod in simplicitate, & sinceritate DEI, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.*

Ex hoc Laterum genere parietem Spei extruxerat Sapiens mulier Susanna apud Danielelem, quæ cum de adulterii crimine castissima accusaretur, Danielis XIII, *flens suspexit in cælum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Et, cum duceretur ad mortem, exclamavit voce magnâ, & dixit: *DEUS æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant; Tu scis quia falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior. Sed non defervit sperantem in se Dominus. nota est historia.*

## ARTICVLVS XI.

## MURI EX SALE.

*Quomodo materia similis ad Parietem-Spei adsciscatur.*


**M**VROS alicubi è Sale construi à fide dignis auctoribus refertur. Certè, Plinius lib. xxxi. naturalis Historiæ cap. vii quod inscribitur, *De generibus Salis, Carthago inquit, Arabia oppido, muros domosque massis Salis faciunt aqua ferruminantes.* In qua re illud mirum animadvertitur quod cum Sal aqua dissolvatur, in muris illis confirmatur solidius. Quod probat etiam diligens Scriptor lib. dorus.

dorus. lib. 16. c. 2. De Hamnianensibus quoque, qui undecim diebus à Syrtibus majoribus incolunt scribit Plinius: Domos sale montibus exciso, seu lapide, construunt: id etiã confirmant alii. Ad Parietem-Spei extruendum massæ salis plurimum conducunt. Sale multa significantur Divinis litteris: hæc præcipuè. I. VERBUM DEI, quod, veluti SAL, rebus corruptibilibus tribuit quandam incorruptionem: quod est condimentum omnis doctrinæ: & quo mens humana suavius, quàm quibuslibet epulis saginatur. Quid autem adeò Spem firmat, quàm VERBUM Domini pollicitationibus de æterna nobis vita plenissimum? II. Sale, Gratia indicatur. Ita Origenes homilia VI. in Ezechiel. Hinc qui gratia sunt præditi, dicuntur sale saliti, quasi gratiosi, Ezechielis XVI. Et proverbialiter etiam apud profanos dicitur falsus, graciosus: insulsus, qui gratia destitutus. Sal Gratiæ divinæ humorem peccati noxium desiccet. Sine hoc autem nulla pars Parietis-Spei consistit. Refert Albertus M. libro de Aquatilibus, cap. de cocleis, Limacem, Sale super eum projecto totum ferè liquefcere, & in aquam viscosam converti. Limax hominem terræ affixum, aut luto immersum symbolicè denotat, cœlestia minimè curantem, qui cum Gratia DEI Sale divini Verbi, in ejus supremam partem, mentem videlicet, sparso, tenerescit, & in aquam, lacrymis sæpe erumpentibus, quibus DEUS, ut visco capi solet, convertitur. III. Sal, Pænitiæ, Paupertatis, Humilitatisq; sunt symbola: hæc enim accommodatè per Salem exprimentur. Pænitentia, quia carni molesta, & acris, incorruptionem caussat. Paupertas, quia salem & cuminum pauperes esitant, ex veteri proverbio, & usu communi. Constat etiam sale, salillo, & tenui salino frugalem victum indicari. Sic dicitur pauper salem lingere; vel salinum regustatum digito terebrare,

brare,

brare, ut lufit Perſius. Denique decantatum eſt illud, *περι ἁλας καὶ κύμινου*, *juxta Salem & cuminum*, quæ pauperum morum ſunt epulæ. *Humilitas*, ſeu *vilitas*: ita ſalis emptum mancipium dicitur, tum ob vilitatem, tum ob contemptibilitatem. Omnia autem hæc mirificè conducunt ad Murum-Spei erigendum. Si mundo ſis contemptibilis, ſi voluntariè humilis, vilisquæ, ſi pauper ſpiritu, ſi pœnitentiæ deditus, ſpera in Domino, imple te enutriet, & ad regnum cœlorum perducet. IV. *Sal* item Prudentiã denotat, & Diſcretionem, quam neceſſe eſt ſalire omnia Chriſtianorum opera. *In omni oblatione tua offeres Sal*, inquit DEUS, Levitici ſecundo: id eſt, discretum ſit & rationale obſequium ac ſacrificium. Nec diſpliceat graviffimorum quorundam auctorum myſtica expoſitio, Statuam ſalis, in quã mutata fuit vox Lothi, prudentiæ fuiſſe figuram, qua ipſa caruit. (a) Denique, *SAL* Chriſti eſt imago ſymbolica. Chriſtus verus eſt *Sal* ſine quo, ſeu meritis illius, oblatio omnis Deo eſt inſulſa & inſipida. Itaque, haud ineptè dixerit quidam, *Piam* ex iſtiusmodi maſſis ſalis, *Parietem-Spei* adſurgere. Si tamen aqua quadam ferruginentur, qua natiſta illa? Demonſtratum eſt aliàs, Aquam in ſacris noſtris ſignificare myſticè S. Spiritum, & ejus gratiam: hac ſal iſti lapides non conſumuntur, ſed conglutinantur, firmanturquæ.

(a) Philo lib. de ſacriſ. Ruper. in Levit. cap. 10. Gonzalez de Medis tract. de Sale Delrius tom. 1. Adag. 109, Maiolus Colloc. 18.



## ARTICULVS XII.

## MURI EX GLACIE

*A quibus-nam construuntur.*

**D**IVERSAM ab hætenus nominata ad Muros materiam Aquilonares adhibent: construunt enim parietes ex glaciei fragmentis, ea ratione formaque compactis, quibus marmora componuntur. Olao teste: sicut enim, inquit, bello terrestri fossæ ac valla fiunt ab iis humo lignis congestis, ita glaciei fragmentis mari constituuntur. Sed ô futile munimentum! quod ad radiorum solarium repercussum ignisque odorem liquefcit. Heu quam multi Aquilonaribus similes Parietem-Spei suæ ex glaciei fragmentis cõstruere conãtur. Nimirũ, qui in operibus omni Caritatis calore destitutis & malitiæ frigore congelatis Spẽ fiduciamq; suam collocant: qui gloriantur in peccatis, qui gaudent cum malè fecerint, qui exultant in rebus pessimis. Sed murus iste ad Solis Justitiæ conspectum, ut glacies liquefit ac diffluit.

(\*) *Olauus lib. II. cap. 20. & 21.*

## ARTICULUS XIII.

## PARIES - SPEI EX LUTO

*A quibus construatur.*

**R**EPERIUNTUR nonnulli, sed imperiti planè Architecti, qui ex mero luto, neque sole neque igne dura-

durato, Parietem-Spei suæ exædificât. Hirundines quidem naturæ instinctu ac magisterio nidos luto conficere sæpe aspexi, nunquam domum ad inhabitandum luto conflare posse audivi. Videmus & ridemus ociosos adolescentes, hieme, dum densa nix ad cubiti altitudinem adsurrexit, propugnacula ex globis niveis & turriculas extruere, quæ vix sunt diariæ, & Sole lucente, vel tepescente aura, aut imbre cadente dissoluuntur. His similes sunt, qui Spem suam ædificant ex operibus à tantum profectis, nullis divinæ Gratia radiis, nullo caritatis calore firmatis. Quicquid enim à nobis ita provenit, luteum est, vilius luto & fragilius. Ita ædificabant Pelagiani hæretici, quorum error erat, non indigere hominem transnaturali Gratia auxilio ad opera vitæ æternæ meritoria producenda.

ALIO titulo eandem imperitiam in ædificando, aut puerilitatem nobis impingunt hujus temporis sectarii. Cùm enim ipsi doceant, Spem fiduciam-ve Christiani in bonis operibus qualibuscumque constitui non posse; audiant autem Catholicos, quos vocant Papistas, Spei suæ Parietem præcipuè quidem è quadrante Meritorum Christi saxi, tum ex aureis divinæ promissionis laterculis, denique ex bonorum operum lateribus erigere, popello persuadent, nos, Hirundinum instar, imperitè ex luto ædificare. Existimant enim, opera quæ nos dicimus bona, & ut Lateres divinæ Gratia igne coctos ad structuram habemus, nihil esse aliud, quam meras sordes, fimum, lutum aut si quid est vilius. (a) Id disertè Calvinus hæresiarcha, cujus istud est pronuntiatum: Omnis opera hominis, etiam in Dei gratiam recepti, & sanctificati, esse peccata lethifera. Sic enim legitur libro tertio Instit. (b) *Habemus ne unum à Sancto*

(a) Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. 7. Valentia 2. 2. disp. 2. q. 1. p. 1. Cap. 14. §. 4.



exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem. Putat igitur omnia justorum opera, si secundum naturam suam spectentur, damnationis mercedem mereri: nā mox subdit: *Duobus his fortiter insistendum: nullum unquam extitisse pii hominis opus, quod si severo Dei iudicio examinaretur, non esset damnabile. Adhuc, si tale aliquod detur (quod possibile homini non est) peccatis tamen, quibus hominem laborare certum est, vitiatum ac inquinatum gratiam perdere.* Quocirca alibi reprehendens Petrum Lombardum, quem Magistrum sententiarum vocant, quod scripserit, Spem gigni in nobis ex Gratia DEI & meritis præcedentibus: *Quis, inquit, non merito tales bestias excretur?* At quam sit vera Catholicorum de bonis operibus, quam falsus sectariorum de iisdem error propriis locis demonstramus.

(a) Lib. 3. Inst. cap. 2. §. ult.

## ARTICVLVS XIV.

## EX PENNIS CEV PYGMÆI

*Parietem Spei erigunt Presumptuosi.*

DE Pygmæis mira refert Plinius (a) inter cetera, Spithamæos esse, ternas spythamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes haud excedentes, salubri cœlo, semperque vernante in montibus ad Aquilonem oppositis degere. Eos à gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est, insidetes arietum caprarumque dorsis, armatos sagittis, veris tempore, agmine composito ad mare descendere & ova pullosque alitum mari-

Quarta Pars.

K k

tima-

(a) Plin. lib. 7. cap. 2. (b) Iuuenal. Saty. 13. Quorum tota cohors pede  
est altior uno.

rimarum consumere. Ad Architecturam quod spectat, casas sibi ex luto, pennisque, & ovorum putaminibus construere. Pygmæos imitantur, quibus pennæ seu plumæ sunt materia, è quâ Parietem suum erigunt. Superbiæ vanitatisque meræ illa sunt symbola. Itaque pennæ ædificant, qui in operibus superbis gloriantur, ac proinde de se de præclarè gestis jactant, & fiduciam omnem suam in externis quibusdam virtutum officiis, ac typis arrogantiaque vitiatis. Dicunt fastu Pharisaico: Nos sumus sicut ceteri hominum: jejuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo.

*Ille ego qui quondam.* ----

## ARTICULUS XV.

EX OVORVM PUTAMINIBVS

*Spei-Parietem exstruunt  
Hypocrita, Simulatores, Dolosi.*

**N**ONNULLI cum Pygmæis simili utuntur materia illi nimirum, qui externa quadam pietatis specie fallunt oculos; qui faciunt foris multa, quæ videntur bona, sed intus medullam non habent; cortice pulchro sunt, sed cassâ nucleo. Opera exteriora sunt veluti cortex circa fructus, putamen in ovis, quæ, si intus sit tellus, aut luteum, ut nucleus, alicujus sunt precii; at, defunt ista, sunt mera purgamêta, quisquiliæ, peripsennæ. Haud secus, orare linguâ, jejunare stomacho, peregrinari pedibus, corpus macerationibus affligere, invitem

hospi-

hospitalia; adire carceres, & similia virtutum officia, si cum pietate interna, cum desiderio DEO placendi, cum sincero affectu misericordiae, Caritatis, & religionis sint conjuncta, atque ex iis proficiantur, alicujus sunt precii ac emolumenti, perficiunt opera interiora, augent, ornant. At verò, si tantùm sunt exteriora, & corporis quaedam functiones, quæ prava intentione exercentur, ac viciantur, nullius sunt meriti, & velut putamina inferorum sterquiliniis deputantur. Ex iis tamen Spei suæ Casam ædificant, ut ridiculi Pygmæi Hypocritæ, & in iis fiduciam suam ponunt. Æstimate quàm sint tui, quos Murus ex ovorum putaminibus cingit!

## ARTICVLVS XVI.

## PARIES CRATICIVS SPEI

*Quomodo conficiatur ex Arundinibus à Mundanis.*

ITA appellat parietem Architectus ex Vitruvio, (a) qui ad similitudinem craticis, ex arrectis transversisque cannis, arundinibus, aut perticis componitur. Certè, inveniuntur non pauci, qui Spei suæ Murum faciunt Craticium, dum Spem suam omnem ponunt in hominibus, qui sunt arundine cannaque magis mobiles, & fragiliores baculo arundineo. Hos Architectos, ut insipientes habet, ac detestatur DEUS, cujus illud est effatum Jeremias XVII. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit craticium suum, & à Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cum venerit bonum: sed habitabit cum siccitate in deserto, in terrâ salsuginis, & inhabitabili.*

K k 2

Bene-

(a) *Pariet Craticius ligneis craticibus, aut canni, in modum craticii constat.*

Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia  
ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas: quod  
ad humorem mittit radices suas: & non timebit, cum venerit aqua.  
Et erit folium ejus viride: & in tempore siccitatis non erit solutum,  
nec aliquando desinet facere fructum.

Quod dixit quondam Rabfices Assyriorum Regum  
legatus, idem cuilibet ex Architectis accini potest: *(a)* In  
quo confidis, ut audeas rebellare? An speras in baculo arundinis  
atque confracto Ægypto? Super quem si incubuerit homo con-  
minutus ingrediatur manum ejus, & perforabit eam. Sic est Pha-  
rao Rex Ægypti (homo quilibet, quamvis Princeps Re-  
gum terræ) omnibus, qui confidunt in se. Et quoniam in Æ-  
gypto Spes suas collocabant Judæi, minabatur Deus  
etiam Ægypto Ezechielis xxix. Pro eo, quod fuisti baculus  
arundineus Domui Israël, ecce ego adducam super te gladium. Ita  
que baculis arundineis & fragilibus cannis Spei Parie-  
tem extruunt, qui in hominibus Spem suam collocant.  
Convenit horum parietibus, quod de Craticijs censet  
Truvius: Craticij, inquit ille, vellem ne inventi quidem essent  
ob rationem superius allatam. Utinam nunquam  
ventus esset Paries confidentiæ ex fragilibus Spei  
manæ arundinibus constans. Celerrimè quidem con-  
citur, & laxissimè se extendit: nam facile quis in divi-  
magnate, Principe Spem suam collocat? Sed quàm  
cile etiam invidiæ, iracundiæ, malevolentæ flamma  
absumitur? Itaque reiicit, & reprobat hoc parietem  
genus Architectura sacra, cujus magistri idcirco reproba-  
dunt sperantes in homine, in carne, aut semetipsis, & e-  
cunt sæpe, in solo DEO esse sperandum.

LIBRO secundo Paralipom. xvi. In tempore illo  
Hanani Propheta ad Asa regem Iuda, & dixit ei: Quia habes  
fiduciam in Rege Syria, & non in Domino DEO tuo, idcirco  
evastat

(a) Lib. 4. Reg. 18, 21. Isaia 36. 6.

tyasit Syria Regis exercitus de manu tua. Totus est in hoc argumento Rex David Psalmo XLII. Quam illa ad rem hanc præclara! In Te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me. Exsurge Domine, adjuva nos & redime nos propter nomen tuum. Et Ps XLVI. Non in fortitudine quis voluntatem habebit, nec in tibus viri beneplacitum erit ei. Quid Ieremiás cap. XVII. ex instinctu Omnipotentis Maledictum pronunciat, qui confidit in homine: & Benedictum, qui confidit in DEO. Quæ Patres diligenter perpendunt: diserte S. Augustinus epistola quinquagesima secunda, & D. Chrysostomus homil. LVI. in Genesim, & in Psal. XVII. ubi illud: Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus, dicit non esse accipiendum comparativè, quasi aliquo modo sit bonum sperare in Principibus; sed Scripturam suo more ad faciliorem rudium captum, significare, simpliciter malum esse, sperare in homine etiam Principe.

## ARTICULUS XVII.

## SPES IN HOMINE

*Aut in Creatura, An, Quando, Quomodo licita.*

ERGO, dicis, nullâ ratione sperandum est in homine? nullum ab eo postulandum auxiliū? Conficietur inde, neque ad Cælitates confugiendum in necessitatibus, neque in bonis operibus Spem locandam? Animadvertit hæc obduci posse S. Thomas Aquinas qui respondet. Vti non licet sperare aliquod bonum, præter DEUM & beatitudinem, sicut ultimum finem, sed solum, sicut id, quod est ad finem beatitudinis ordinatum; ita non licet sperare de aliquo homine, vel de aliqua

creatura, sicut de prima Causa movente in beatitudinem. Adde  
autem, Licet tamen sperare de aliquo homine, vel creatura, sicut  
de agente secundo, & instrumentali, per quod aliquis adju-  
tur ad quacumque bona consequenda in beatitudinem ordinata.  
Breviter. Non licet sperare in homine, aut aliâ creatu-  
râ, tanquam in Prima Causa movente ad beatitudinem,  
sed solum, tanquam in agente secundo, atque instru-  
mentali. Ex quo consequitur, *Primò*: Possè justum, & fi-  
delem quemcumque in bonis operibus Spem & fide-  
ciam aliquam collocare, modò absit præsumptio, & hu-  
perbia. Nam quemadmodum misericordia DEI, ita &  
bona operum merita sunt vera salutis causa: licet autem  
confidere in omni vera causa, quæ ad finem operatum  
speratumque consequendum noscitur idonea. Exem-  
plo id patet in rebus corporalibus. Siquidem agrotans  
rectè confidit, non solum in arte ac industria Medicorum,  
sed etiam in virtute & efficacia medicamentorum, Ad-  
que hoc non tam est confidere in homine & proprie-  
tate virtute, quam in eius qui virtutem contulit gratia, & in  
re nostra, in DEO, cujus munera sunt bona opera. *Secun-  
dò*, licitum esse, ut in operibus bonis, sic in proximorum  
auxiliis Spem aliquo modo ponere cum subordinatio-  
ne ad Deum, ut salutis causam principem. Ex quo se-  
quitur. *Tertiò*, fas esse, in Sanctis, sive eorum precibus  
intercessione Spem eadem limitatione ponere. Nam  
vera Sancti possunt hominibus esse auxilio ad conse-  
quendam beatitudinem: potest igitur id ipsum ab eis  
postulari, possunt id homines sperare.

QVARE possunt fideles in necessitatibus suis ad alium  
quem Sanctorum se convertere, ut est Jobi v. capite.  
Quod consilium Eliphazi videtur sequutus Iob ipse  
cap. xix. ubi supplex in hæc verba prorumpit: *Miseremini  
mei, miseremini mei saltem vos amici mei.* In quæ verba scribitur

S. Angu-


S. Augustinus, videri Patientem Angelos postulare, ut pro se deprecetur: aut certè Sanctos, ut pro pœnitente orent. Idem Sanctus Doctor Sermone XVIII de Sanctis Reginam Sanctorum omnium ita alloquitur: *Tu es SPES unica peccatorum: per Te speramus peccatorum veniam: & in Te, Beatissima, nostrorum est expectatio premium.* Sanè, cùm inter omnes Sanctos emineat DEIPARA, quæ Sanctum Sanctorum peperit, non dubitavit Ecclesia Catholica in Antiphona *Salve Regina* illi dare titulum, quem quotidie usurpamus *SPES nostra*. Quomodo eam vocat B. Ephræm oratione de laudibus Virginis, & alii Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ Patres, idq; sine DEI vel Christi Domini injuria. Quomodo Apostolus absque injuria Christi vocavit Thessalonicenses *Spem suam*, *Gaudium suum*, *Gloriam suam*. Injuriam Christo haud quam intulit deditissimus Virgini Bernardus, ita de illa scribens: *Serm. de Aquæductu. Filioli, hæc peccatorum Scala, hæc mea maxima Fiducia est: hæc tota ratio Spei mea.*

QVOD autem Propheta Ieremias dixit: *Maledictus vir qui sperat in homine*, intelligendū est de eo, qui potissimam suam Spem in homine collocat, ut in Domino Deo suo nulla ratione confidat. Sic enim subsequitur: *Et à DEO recedit cor ejus.* At verò, qui piè, & vt Sancta mater Ecclesia docet, & in Sanctis, ac Sanctorum Regina confidunt, principaliter, directè, ac potissimùm confidunt in DEO. Quare nos meritò cum Ecclesia illi quotidie acclamamus, *Salve SPES nostra*, Spes instrumentaria, accidentaria, accessoria: nam primaria, princeps, substantialis est DEUS Pater, Filius, Spiritus-Sanctus DEUS VNUS & TRINUS, cui laus, honor, gloria in secula seculorum. AMEN.

(\* \*)

Kk 4

SER-



## SERMO III.

## MENSURÆ

*Parietis Spei.*

**D**isservimus hactenus de *Parietis Spei materia*, & extru-  
nis modo, nunc de mensuris ejusdem, aliisq<sup>3</sup> conditionibus  
spectantibus pertractandum est.

## ARTICULVS I.

## ALTITVDO

*Parietis Spei.*

**A**VDANTVR imprimis Parietes, seu M<sup>ur</sup>  
ab *Altitudine*. A qua celebratissimi f<sup>uer</sup>  
apud veteres Muri Babylonii, quorum  
titudo erat pedum ducentum. Super  
hanc Altitudinem murus in substructione  
templi Jerosolymitani à Salomone erectus; fuit eni  
altitudinis pedum mille & quadraginta octo. (a) S  
quid hæc ad altitudinem *Parietis-Spei*, quæ usque  
Altissimum pertingit, usque ad DEUM elevatur? Sp  
enim in DEUM tendit, & per illam beatitudo attrahitur  
Hinc ad Hebræos VI. dicitur *Spes incedere*, id est, elevat  
& pe-

(a) *Vitaspand. Tom. 2. lib. 5. disp. 4. cap. 63.*



& penetrare usque ad interiora velaminis, nimirum, in cœlum beatorum, ubi DEI vultus, nobis tanquam velo obductus, clarè cernitur. Ut explicat ipse Apostolus cap. ix. ejusdem epistolæ. Alibi autem penè semper, Spem cum gloria conjungit. Ad Titum secundo, *Expectantes beatam Spem, & adventum gloriæ magni DEI.* Et cap. tertio, *In Spem vitæ æternæ.* Ad Romanos v. *Gloriamur in Spe gloriæ;* cap. viii. *Spe salvi facti sumus.* Ad Ephesios i. *Ut sciatis, quæ sit Spes vocationis vestræ, & divitiæ gloriæ hereditatis.* (a) Unde probant Theologi, Spem esse Virtutem Theologicam, quia immediatè DEUM ipsum attingit. Profectò, altissimus est murus, qui ipsos cœlorum orbis penetrat, & solium Gloriæ DEI attingit.

OB hanc etiam causam, dicimur, in Domino habere fiduciam: confidendum in Domino: Dominum esse Spem nostrâ: quæ omnia indicant, Parietem-Spei rectâ ad DEUM Altissimum esse dirigendum. Dominus, inquit, Rex David, *firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. DEUS meus, & Adjutor meus, & sperabo in eum. In Te confidit anima mea.* Idem fuit sensus ejus filii Salomonis, qui ita monebat: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Et Ecclesiastici adhortantis: *Conside in Deo, & mane in loco tuo.* Jeremiæ quoque bene precantis, *Benedictus vir qui confidit in Domino.* Pia est illa S. Bernardi contestatio: *Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & astus Mihi adherere DEO bonum est: ponere in Domino Deo meo Spem meam.*

( \* \* )

(a) *Spes virtus Theologica. S. Thom. 2, 2, q. 17. art. 5. ubi Bannez Valentia, Malderus.* (b) *Psal. 17. 3* (c) *Psal. 56. 52* (d) *Prov. 3. 5.* (e) *Ecc. 11. 22.* (f) *Ier. 17. 7.*

## ARTICULUS II.

## LONGITUDO

*Parietis Spei.*

ALTERA, Parietem vel Murorum commendatio fitur à Longitudine: oportet autem Spei Murum esse longissimum, cum quo nullus conferri possit nullius terreni ædificii. In historiis quæ sacris, quæ profanis nominantur muri hoc nomine celeberrimi. *Antiochus* integram regionem Margionem circumduxit muro perpetuo, atque in ejus complexu Antiochiam quoque ædificavit. Erat autem muri ambitus stadiorum mille quingentorum, id est, propè ducentorum millium passuum (a) *Milciades* Dux Atheniensium alium erexit, qui à *Strava* urbe, quam *μακεδόνεικον* vocabant incipiebat, supra inde ingens, usque ad sinum Malicum, excludebatque Chersonesum à reliqua Thracia (b) *Cæsar* in Germania Murum ædificari iussit à Lacu Lemano ad montem *Jaram*, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit. (c) *Adrianus Imperator* in Britannia Murum extruxit per octoginta millia passuum, qui Barbaros Romanosque destrueret. (d) *Severus* in eadem regione alium murum centum & triginta millium passuum longitudine, à mari scilicet ad mare produxit. (e) His antiquiores *Carthaginienses* Murum sexaginta stadiorum constituerunt ad urbis tuitionem in Isthmo: nihilominus deleta est ipsa, cujus ambitus erat xx passuum millium. (f)

(a) *Strabo* lib. 11. (b) *Lud. Vives* lib. 15. de Civit. c. 27. (c) lib. 1 de bell. Gall. (d) *Spartis. in Adr.* (e) *Orosius* lib. 7. c. 17. (f) *Oros.* lib. 4. cap. 21.

At superarant hos omnes & alios quoscumque Babylonii ac Sinenses. Et illi quidem inter Orbis miracula recensentur: habebant autem in longitudine trecenta & octoginta stadia: (a) nimirum, milliaria circiter quadraginta octo: tantoperè autem urgebatur opus, ut unū quotidie staduum absolveretur, omnia penè intra unius anni circulum. Altitudo erat pedum ducentum: latitudo quinquagenum, ut quadrigæ sibi occurrentes non offenderentur: ædificati scribuntur à trecentis operariorum millibus. *Sinenses* verò insanis sumptibus struxerunt Murum longissimum, quo à Tartaris dividerentur. Is etiamnum quingentis leucis est oblongus, id est, ad duo millia miliarium Italicorū, latus pedes quatuordecim, ac totidem altus, jungens montes montibus ad Leucas octoginta. Hunc Murum in tantam porrigi longitudinem, ut menstruo intervallo integro ad illius finem nemo valeat pervenire, scribit Malacha Melchior Nunnez; sicque deprehendatur murus ille unicus propè decies centum millia passuum protendi longitudine. Certiora referunt recentes Sinarum historiographi. (d)

LONGI profectò, Latiq̄ue sunt hi Muri, & ad stuporem Europæorum. Sed non pertingunt ad Longitudinem Latitudinemq̄ue MUR I illius, quem SPEI dicimus. Qui tam est longus, ut nemo mortaliū, quamvis vitæ maximè diuturnæ, & ambulatoriæ ad ejus terminum pervenire debeat. Mundus obambulari potest, & quod-nam non, quamvis longissimum spacium? Murus Spei semper ulterius extenditur. Postquam in illotribus, quattuor, decem, immò centum annis passus promoveris, infinitum semper restabit quod perficias. Dicam hoc clarius. Ejus conditionis est Spes, ut dum

vita

(a) Diodor. l. 3. Strab. l. 16. Justin. l. 1. Herod. l. 2. Solin. c. 60. (b) Nunnez de reb. Sinar. T. 2. (c) Maiol. Tom. 1. Colloq. 23. (d) Riccius. Trigantius. Iarrus.

vita superest, temper meo consistere debeas, nunquam  
ejus orbitam relinquere: semper hoc in Muro curren-  
dum est Elegans mihi visum est & utile symbolum cu-  
jusdam, & ab omnibus usurpandum: DUM SPIRO SPE-  
RO. Quamdiu halitus in ore superest, tam diu pede Mu-  
rus Spei calcandus est.

## ARTICULUS III.

## LATITUDO

*Parietis Spei.*

**E**A non est solùm pedum quinquagenùm, ut Mur-  
Babylonici, sed tanta, ut cum Longitudine certare  
possit. Complectitur enim latitudine, quicquid tan-  
quam ad æternam vitam conducibile sperari potest, sive  
sit causa, sive medium, sive effectus: & quid sic sperari  
non potest? Bonum quodlibet creatum, & increatum  
Bonum increatum est DEUS, & quicquid in illo bono-  
rum omnium Oceano interminato continetur. Objec-  
ctum enim Spei est Beatitudo sive DEUS: nempe. Sum-  
mum Bonum visione & amore possidendum. Bona au-  
tem creata pertinent ad objectum Spei, quatenus con-  
ducunt ad DEI comprehensionem, aut inde consequun-  
tur; sive naturalia sint, ut sanitas, robur, pulchritudo, vir-  
tutis, facultates, amicitia; sive supernaturalia, virtutes,  
gratia, divini Spiritus charismata. Porro, per se magis  
sperantur supernaturalia, quoniam per se conducunt  
aut consequuntur ad beatitudinem supernaturaliter.  
Quæ verò sunt ordinis naturalis, dum sperantur, inducunt  
quadamtenus rationem boni supernaturalis, quod  
boni-

bonitas finis, propter quã experiuntur, supernaturalis est. Quare rectè præscribitur in Catechismo, *Spes est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia, nostra salutis, & æterna vita bona expectantur.* Quæcumque enim ad æternam vitam referuntur, sive ut causa, sive ut medium, sive ut effectus, quamvis temporalia sint, & inter sublunaria numerentur, æternis jure accensentur.

## ARTICULUS IV.

## RECTITUDO

*Parietis Spei.*

EST illa quoque laus Parietis haud minima, si ad normam rectissimè adsurgat: quod maximè spectandum in ejus constructione. Quare observet Architectus Christianus, ut Spei suæ parietem erigat ad normam, sitque rectissimus. Caveat ne inclinetur ad vana, ne deflectat ad illicita, ne, incurvetur versus terram. Multi sunt, qui sperent, sed non in Domino: fiduciam suam habent in vetitis artibus, commerciis, subsidiis: Hi clū tentationibus oppugnantur, etsi non omninò statim desperent, tamen desperabundis sunt similes; diffidentibus, quàm sperantibus viciniore. Quod dum animadvertunt hostes nostri capitales Dæmones, facillimè hominem invadunt, & animum, velut propugnaculum cui inhiant, occupant. Quando enim inclinatus est paries facillimè corruit, & totum ædificium subvertitur. Quo sensu Psalm. ista dicebat: Psalm. LXI. *Quousque irruiis in hominem, interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato & materia depulsa?* Nimirum, facitis sicut hostes, qui, ut parietem incli-

incli-

inclinatum vident, irruunt, ut totus concidat: dum mis-  
natur ruinam Paries, hostibus est opportunum, ut ad  
terram deiciant: & sanè facile sine magno impulsu rui-  
t. Quare frequens est similitudo apud Poëtas, à pariete,  
qui ubi facit inclinari, facillimè corruit.

*Cum coepit quassata Domus subsidere, partes*

*In proclinas omne recumbit opus.*

canebat quidam.

## A R T I C V L V S V.

### FIRMITAS

#### *Parietis Spei.*

**D**EBET Spei Paries esse firmus. Qui sperat in Do-  
mino, eiusque auxilio non debet nutare, non va-  
cillare, non moveri in hanc illamve partem, deni-  
que, non debet diffidere. Sperantem in Domino excla-  
mare oportet cum Jobo: (a) *Etiamsi occiderit me, in ipso spe-  
rabo.* Et cum Davide: (b) *si consistant aduersum me castra, non  
timebit cor meum. Si exsurgat aduersum me praelium, in hoc ego  
sperabo.* Et cum Paulo Apostolo. Certus sum, quia  
neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque  
creatura alia poterit nos separare à Caritate DEI, quia  
est in Christo IESU (c) Ab hac firmitate laudatur,  
quis alius credentium Pater Abraham, de quo Aposto-  
lus: (d) *Contra Spem in Spem credidit, ut fieret pater multarum  
gentium, Non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum  
emortuum, cum jam ferè centum esset annorum, & emortuum  
vulvam Saræ. In repromissione etiam DEI non hesitavit diffi-*

(a) Job XIII. 15. (b) Psal. XXVI. 3. (c) Rom. VIII. 38 (d) Rom. IV. 19.

*dentia.* Firmitas autem illa oritur, tum ex fundamentali-  
bus duobus lapidibus, de quibus actum superius, Pro-  
missione DEI & Jurejurando divino, quibus nihil po-  
test excogitari firmitus: tum ex Nexu indissolubili lapi-  
dum, laterum, & æris Parietis ejusdem, de quo modo  
inquirendum est.

## ARTICVLVS VI.

## NEXVS

Æris, Lapidum, Laterum

*Parietis Spei.*

TAMETSI in Ædificio *as, lapis, lateres* jungantur,  
nihilominus nisi interveniat quidpiam, quod fir-  
miter copulet, non constituetur ad tutelam idoneus  
Parietis, vel murus. Vulgo autem lapides lateresque cal-  
ce nectuntur: olim etiam bitumine jungi solebant. Sed  
sumptuosissimi Muri, maximè si fiant ex quadrato lapide,  
pro juncturâ habent ferrum aut plumbum: in quibus-  
dam, quod in stuporem rapit, *Aurum* fuisse adhibitum  
invenio. De ferro plumboque constat ex Templo Sa-  
lomonis, in quo maximi lapides parietum ferro fuerunt  
colligati. Sic enim scribitur I. Paralipon. XXI. *Ferrum plu-  
mum ad clavos januarum, & ad commissuras, atque vinculas  
preparavit David. Quod dicitur, ad juncturas, & commissu-  
ras, simplici voce in originali exprimitur, quam nonnul-  
li, Catenationem vertunt, sed revera quamcumque con-  
juncturam designat, aut colligationem, qualis fuit lapi-  
dum in parietibus; quicum sine ullo medio cæmento  
copu-*

copu-

copulati essent, ferreis vinculis intrinsecus cohærebant: exceptis meridionalibus, quos plumbo nexos, ne ferri australi vento corrumpere suspicatur templi Jerosolymitani illustrator Villalpandus, in architectura profana sacraque versatissimus. De Auro exemplum est in Domo Cyri Persarum Regis, quam inter septem orbis prodigia numeravit Philostratus libro 2. qui *Auream* vocat: *Æschilus* verò *χρυσείλαβος*, auro fulgentibus compositam. Sed Cassiodorus lib. 15. *Auream* dictam insinuat, quod illigatis auro lapidibus constructa esset: nam Domum eam ait arte prodigâ factam, illigatis auro lapidibus.

JAM verò, Lateres, Lapidesque Parietis Spei, ne quid desit vel ad firmitudinem, vel ornatum, jungit *Ferrum & Aurum*: Ferrum Fortitudinis, Aurum Caritatis. De ferro sunt clarissima illa Prophetæ: (a) *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum*. Idem tibi monet universos: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino*. (b) Aureum eorundem vinculum esse Caritatem, habemus ex Paulo Apost. qui idcirco *Caritatem* vocat *Vinculum perfectionis*, id est, perfectissimum & nobilissimum. (c) Denique, satis constat, sine hoc nexu, cumulum operum, quantumvis excellentium, non esse, nisi luteam quandam congeriem. Addo, quod antea me dicere memini; Muros è salis compactos aqua ferruminari, & solidissimè necti. Aqua Symbolum est Sancti Spiritus, & Gratiæ ejusdem: hac salis Lapides, qui Parietem-Spei constituunt, conglutinantur, firmanturque.

Legendus Joan. Bap. Villalpandus, Tomo 2. par. 2. lib. 4. disp. 4. cap. 60. *Erant (inquit) commissura ita latentes, ut oculis percipi possent, & unus potius lapis è pluribus, quam plura*

(a) Psal. xxvi. 14. (b) Pl. xxx. 25. (c) Ad Coloss. 3. 14.



conjuncti viderentur. Nullum inter eos intercedebat connectendæ  
 causa camenti genus: intrinsecus ferreis vinculis (exceptis meri-  
 dionalibus, ne australi vento ferrum corrumpetur)  
 constringebantur. Consulatur idem Scriptor de Mensuris  
 Templi Salomonici, Tomo 2. à pag. 550. Et Pineda de  
 rebus Salomonis libro quinto cap. 5. nec non Tirinus in lib. Reg.  
 & Paralip. ibidemque Cornelius de Lap.



## S E R M O IV.

## I N C R U S T A T I O

*Parietis Spei.*

CONSTRUCTO Pariete, ne rudis maneat, Incrustatione or-  
 nari solet: & tribus ferè coriis, seu cutibus obducitur. Prima  
 parietis superficiem æquat, auferendo scabritiem; ac vocatur Pri-  
 mum Tectorium, vel Crusta: altera colorem aliquem addit:  
 postrema demum pictura polit. Simile quid accidit in Pariete-  
 Spei.

## ARTICULUS I.

## T E C T O R I U M

*Parietis Spei.*

## T I M O R D O M I N I .

SPEI Paries obducendus est, tanquam Tectorio pri-  
 mo, Timore Domini, qui aufert eminentias præ-  
 sumptionis, & explet inanitates pusillanimitatis.

Quarta Pars.

Ll

Cer-

Certè, à Spe non debere abesse Timorem, docet Salomon Proverbiorum iv, hoc enunciato: *In Timore Domini fiducia fortitudinis: & filiis ejus erit Spes.* Ecclesiasticus etiam cap, xi. timentes nominatim ad sperandum exhortans: *Qui timetis Dominum sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia.* Iterum cap. xv. *Oculi Domini ad timentes eum.* Confirmat id ipsum S. Augustinus Sermone xv, ad Fratres in Erèmo, ita illos alloquens. *O Spes! tu omnia portare facis dulciter & suaviter. Eia ergo, fratres, hanc amate, hanc tenete, nō tamen sine Timore. Quia qui sperat, nō timet, negligens est: qui autē timet, & nō sperat, depressus est, & descendit in profundum, quasi lapis.* S. Bernardus quoq; Sermone vii. in Cantica, agens de osculo duorum pedum Domini, docet, Timorē Spei esse copulandum: esse autem etiam periculosum, si se jungantur. Nam *recordatio solius iudicii quæ Timorem parit, in barathrum desperationis precipitat: & misericordie fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Immò, tam est cognatus Spei Timor, ut præclari in Architecturâ Magistri idcirco ipsum Timorem appellerint Murum. Disertè S. Chrysostomus homilia xv. ad populum: *Timor nihil est aliud quàm Murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitionis opus est, quia multa sunt ubique insidia.* Et S. Cyrillus lib. secundo in Isaiam Prophetam: *Tenendum est, animam Dei Timore velut Muro obseptam fortem esse, & quodammodo invictam & vires eorum, qui manus cum ea conserunt, expugnata.*

## ARTICULUS II.

CRUSTA

*Parietis Spei.*

LONGANIMITAS.

**A**LTERA Incrustatione obducitur Spes-Parietis Longanimitate. Spes quæ differtur, affligit animam: et

omni-

omninò deiiciat, Longanimitate perficitur. Hanc Cru-  
 scam Spei appingit S. Cyprianus de bono Patientiæ  
 hunc in modum differens: *Tolerandum & perseverandum*  
*est, fratres dilectissimi, ut ad Spem veritatis, & libertatis admissi,*  
*ad veritatem & liberalitatem ipsam perveniamus. Quia hoc*  
*ipsum, quod Christiani sumus, fidei & Spei res est. Ut autem fides*  
*& Spes ad fructum suum possint pervenire Patientia opus est.*  
*Cum enim quod non videmus, speremus, per Patientiam illud*  
*ipsum expectamus: propterea, expectatio, quæ Longanimitatis est,*  
*& Patientia necessaria est, ut id quod esse cœpimus, impleamus;*  
*& quod credimus ac speramus, DEO præstante, capiamus.*

## ARTICULUS III.

VELVM

*Parietis Spei.*

HUMILITAS.

PRÆTER Incrustationem duplicem, in Principum au-  
 lis, templisque vestiuntur parietes, vel picturâ  
 penicillo obducta, vel precioso & exotico ligno,  
 vel peristromatis & aulæis: hæ sunt parietum vela-  
 mina: quorum loco in Domo Sapientiæ quadrupli-  
 cem Spei parietem vestit HUMILITAS: quâ nisi is  
 obducatur, & quod in eo adhuc inane, impleatur, vel  
 obveletur, facillimè ventis superbiæ australibus, borea-  
 libusque corrumpitur. Notavit id D. Chrysostronus, quî  
 homilia XXI. in Genes. Oportet quidem, inquit, in virtute, &  
 rectè factis Spem salutis habere. non tamen idcirco magnificè te  
 circumspicere, & multum de te sentire; sed tunc magis humilem  
 & modestum esse, cum magnas virtutum diuitias congesserimus.  
 Sic enim & ipsi collectas divitias custodiamus, & gratiam DEI

Ll 2

nobis

nobis conciliabimus. Enimverò & propter hoc Christus discipula dicebat: Cùm feceritis omnia, dicite, Servi inutiles sumus. Idem S. Pater homilia tertia in illud, *Elatum est Cor Osia*: Nihil, ut perinde gignit superbiam, quam Bona Conscientia, nisi advigilemus. Vnde & Christus, sciens, quod post beneficia hic morbus adoriatur, dicebat discipulis: Cùm omnia feceritis, dicitis, *Servi inutiles sumus*. Quasi diceret, postquam Spei-Parietes bonorum operum lapidibus extruxeritis, & longanimitate ac Patientia in crustaveritis, Aulæum Humilitatis appendite. Aliud quid suggerit benè observandum homilia tertia in Matthæum sic scribens. *Quando aliqua præclare fecerimus, habemus eum debitorem ob res benè gestas. Quando verò nihil arbitramur nos operatos egregium, amplius etiam ob talem meremur affectum, quàm propter opera ipsa, qua fecimus.* Existimat igitur Chrysostomus: Minimum de se sensitisse, tam esse magnum, quàm maximas res fecisse. Hoc est Humilitatis meritum.

QVO CIRCA monent seriò sanctissimi Viri, & peritiam obliuionis bene facta nostra velemus, ne illorum aspectu superbiæ affectus insurgat. Præclare S. Gregorius Papa lib. ix. Moralium cap. 17. *Si scimus bona, qua agimus, ad elationem discimus: si nescimus, minimè seruamus.* Quis enim de virtutis suæ conscientia non quantulumcumque superbiat? aut quis rursus bonum in se custodiat, quod ignorat? Sed contra utraque quid superest? nisi ut recta qua agimur, sciendo nesciamus: ut hæc & recta æstimemus, & minima; quatenus ad custodiam sanctificet animam scientia rectitudinis, & in morem non euelet æstimatio minorationis. Hic sensus tuitur religiosissimi Abbatis Bernardi, qui licet multis annis strenuè laborasset in erigendo Spei-Pariete, cumulatissimè ligatisque gratiæ vinculo bonorum operum meritis, peruenit in epistola cccx. quam, cùm penè animam ageret, detulit, ita loquitur: *Orate Salvatorem, ut tempestiuum exitum*

exitum non differat: curate munire votis calcaneum nudum  
meritis. Idem docet nos in precibus suis Ecclesia, quæ sic  
orat (a) DEUS, qui conspicias, quia ex nulla nostra actione confi-  
dimus: Et, (b) Vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis  
succurre presidis. Denique in Canone Missæ: Intra quorum  
nos consortium non estimator meriti, sed veniæ quasumus largitor  
admitte.

(a) Dom, Sexag. (b) Dom. Advent. secreta.

## ARTICULUS IV.

## SECURITAS

*A Muro Spei.*

SPei Parietem, qui & Murus est, si in anima nostra  
extruamus, securi ab omni adversariorum incurſu  
prævalente erimus. Quis enim non sit securus, quem  
cingit vndequaque Murus, ex ære, lapide, latere ita  
compactus, ut nullius extranea vi, modò illum inquili-  
nus conservare velit perrumpi possit? Ita meritò excla-  
mavit cantando Psaltes Regius: (a) In Domino sperans non  
informabor. Et, (b) Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion,  
non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Montes  
in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui. Hoc est mu-  
nimentum fidelium. In silentio & Spe fortitudo vestra, inquit  
Propheta. (c) Beati omnes qui expectant Dominum:  
nimirum, inclusi sunt in loco tutissimo, in quem nulla  
potest irrumperere adversitas, nulla prædominari hosti-  
litas. Egregiè S. Hieronymus, idcirco quos fidei suæ  
commisos erudiebat, intra Spei munimentum, ut se

Ll 3

inclu-

(a) Psal. xxv. (b) Plcxix. 1. (c) Isaiæ xxx. 15.

includerent, & detinerent hortabatur. Similiter S. Gregorius, cujus est ista præclara sententia hom. xvii. in Ezechielem: *Spes cœlestium mentem solidat, ne concutatur fluctibus tumultuum terrenorum.* De qua & per Paulum dicitur ad Hebr. vi. *Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam* Alibi idem Magnus Papa: *Spes in aternitatem ænimum erigit, & idcirco nulla mala exterius qua tolerat, sensit.*

Hoc cincti Muro intrepidè hostes suos proritabant fortissimi Christi pugiles, neque Martyres solùm, sed illi quoque, qui super misericordiæ divinæ fulcimentum, operum bonorum molem, in eremo, & monasteriorum claustris crexerant. Ex iis Paulus Eremitarum primus morti propinquus dicebat, Hieronymo teste, *Peracti cursu superest mihi Corona justitiæ.* Et Hilariion sylvicula, ita semet animabat: *Egredere anima mea, egredere, quid times? Septuaginta propè annis servisti Christo, & mortem times? Magis animosè Martinus, qui jam jam migraturus magna fiducia dicebat astanti Diabolo. Quid hic adstas cruenta bestia nihil in me funesti reperies: Abrahæ me sinus excipiet.* Et pauca confidentia vir Seraphicus Franciscus, cujus extrema verba fuisse refert S. Bonaventura: *Educ de custodia animam meam ad consistendum navini tuo. Me expectant justii, domine, nec retribuas mihi.*

---

## ARTICVLVS V.

### ANACEPHALÆOSIS

*Architecturam Parietis- Spei ob oculos ponens.*

**A**VDISTIS ad Spei-Parietem construendum conuenire DEUM, ut Principem Architectum, homines

ut secundarias operas; *Fidem*, ut fundamentum; *Pactum*,  
*Iuramentum*, & *Misericordiam*, Divinam, ut *Coronidem* fun-  
 damento impositam & cingentem: Christi Merita, ut  
*Lapides*; Bona fidelium Opera, tum *Patientiam*, *Miseri-*  
*cordiam*, *Conscientiam*, ut *Lateres*: Divinam *Gratiam*,  
 ut *Calcem*, & *Nexum aureum*: *Timorem*, *Humilitatem*,  
*Longanimitatem*, ut *Incrustationes*. Quibus ita fiden-  
 dum, ut præcipuè tamen in Deum, Christi que Servato-  
 ris Merita mens figatur, placeatque illud Bernardi epi-  
 phonema: *Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus*  
*diei & astus: Mihi adherere DEO bonum est: Ponere in Domino*  
*DEC SPEM meam.*

## SERMO V.

## TECTVM

## DOMVS SAPIENTIÆ.

PARIETIBVS ad normam erectis, firmatisq; imponitur  
 summa pars Domus, qua cetera teguntur, ideooq; TECTVM  
 dicitur. Quod quale nam sit in Domo Sapientie sive Edificio Spi-  
 rituali, paucis expediam cum in superioribus sit expressum, & qua-  
 damtenus explicatum.

## ARTICVLVS I.

## TECTVM

## Domus Sapientie.

## CARITAS.

VT suprema Virtutum, ita partium Domus, quæ Vir-  
 tutibus constat, est *Caritas*, quâ, tanquam culmine  
 L1 4 impo.

imposito, Domus tecta censetur. Domus DEI, inquit Augustinus Serm. XXI. de verb. Apost. *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Ita docet Paulus Apost. qui scribens ad Galatas cap. v. Nos, inquit, *spiritu ex fide Spem Iustitiae expectamus: id est, ex fide speramus vitam aeternam, quae est merces iustitiae, vel praemium iustitiae* tum subjungit. *Nam in Christo IESU neque Circumcisio aliquid valet, neque praepitium, sed fides quae per dilectionem operatur.* Hoc est, Spem non facit, aut lex circumcisionis, aut opera, quibus Gentiles gloriari solebant, sed officium fidei, si tamen à Caritate perfecta sint. Sine Caritate opera, quamvis heroica, non sunt vitae aeternae meritoria. *Si habuero omnem fidem, inquit Apostolus, ita ut montem transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum, I. Corin. 3. rectè: nam qui non diligit, manet in morte.* Quomodo ergo speret, cui est ablatas vitae spiritus? Quare in Caritate omnia constituit S. Augustin. lib. de natura & gratia & c. ult. *Caritas, inquit, inchoata, inchoata Iustitia est, caritas profecta, profecta iustitia est, caritas perfecta, perfecta Iustitia est.* Super omnia hæc Caritatem habete, monet Apostolus, quasi dicat; postquam ex meritis Christi, & operum bonorum lateribus, in fundamento fidei Parietes Spei construxeritis, non erit perfecta meritorum Domus, nisi super omnia, Caritatem, ut Tectum, & supremum culmen imposueritis. Hinc docent Theologi frustra sperari vitam aeternam sine Caritatis tegumento, quo operationes omnes obuehantur, ut Tecto partes Domus. Est autem Caritas Tectum planè aureum, quod idcirco omnibus æreis, quæ plurima olim celebrabantur, praefertur. Cedit huic Tectum Panthei Romani ex tegulis æneis prægrandibus: cedit Tectum inclytum, quod in foro Nervæ omnium trahebat oculos. Cedit denique

sem-



Templi Jerosolymitani, de quo penè incredibilia referunt Templi illius descriptores. (a) Omitto ad comparationem minutiora.

(a) Legendus Vilalpandus, Tom. 2. lib. 5. disp. 4. quæ est de amplitudine & magnificentia Templi pag. 549. cap. 60. tum cap. 61. ubi instituitur comparatio inter Templum & Cariæ Mausolæum, Colossos, Babyloniam muros, & hortos. cap. 62. Comparatur Templum cum Persarum Domo. cap. 63. cum reliquis mundi miraculis. cap. 64. Cum Romanæ Urbis sumptuosissimis ædificiis. cap. 65. Cum aliis Urbis Admirandis, inter quæ Tectum & Cameratio fori Romani ænea, de quo Pausanias; Romanis forum, quod & magnitudine & apparatu instar miraculi exhibet Tectum & camerationem æneam.

---

## ARTICULUS II.

### T E C T V M

### *Domus Sapientiæ.*

#### PERFECTIO CHRISTIANA.

NON aberrant à Scopo, nec sunt arguendi, qui, cùm disquiritur de Tecto Domus Sapientiæ, Respondent, esse Perfectionem Christianam; sed nihil docent diversum ab eo, quod nos diximus, esse Caritatem. Si quidem Perfectio Christiana est Perfecta Caritas, DEI & Proximi; Amici & Inimici, denique omnium, quos Deus amore ac favore dignatur. Unde signatè dictum est à Christo Perfectionis Doctore, & in suis Auctore: *Estote Vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est,* Matthæi v, & Lucæ vi. Quæ Perfectio est culmen Virtu-

tum omnium, & consequenter Tectum Domus Sapientiae, quæ ex omnibus constructa est. Perfectio igitur Caritatis, quâ diliguntur tam inimici, quàm amici, sicut Pater cœlestis dilectionem suam ad omnes extendit, Perfectio benignitatis, mansuetudinis, patientiæ, castitatis, & ceterarum, Tecti rationem habet. Et facit ad Ædificii spiritualis conservationem quicquid vel Tectum imbricatum, seu regulanæum; vel pectinatum, sive displuviatum; vel testudineatum, vel scandulare, vel quodlibet generis alterius: avertit pluviam, nivem, grandinem, omnemque aëris injuriam, aut detinet, ne ad ædificium penetrent, & detrimentum adferant: ut pluvia, nix, grando obest fabricæ materiali, ita spirituali incommodat humor luxuriæ, frigus acedia, concretio malevolentiae, quæ omnia *Virtutis Perfectio* amolitur. Illud fuit in Tecto Templi Jerosolymitani singulare, quod per illud aves etiam arcerentur: causam clarè apponit Josephus historicus, quæ inter alia: *Desuper, inquit, verubus aureis acutissimis undique horrebat tectum, ne insidentibus avibus pollueretur.* Et hunc effectum habet *Tectum Perfectionis* in qualibet virtute: arcet malorum contagia: Dæmonum, tanquam alitum circumvolitantium accessum prohibet: aërearum potestatum infestationem non admittit, ne Domus Sapientiae sordibus polluat. Quod facillimè contingere posset, si propius tentatores illi accedere, & instillare, quæ nota sunt, permetterentur.

ITAQUE, si *Ædificium spirituale*, tantis sumptibus, impensis, ac laboribus à vobis & in vobis ædificatum, velitis conservare diutissimè mundum & integrum, adhibete operam, *Ut sitis perfecti & integri in nullo deficientes*, quæ sunt verba Jacobi Apostoli: (c) allaborate, ut

(a) Josephi. lib. 6. belli c. 6 (b) Valalpand. Tom. 2. p. 2. lib. 4. c. 23. p. 287. (c) Jacobi Ep. 1. cap. 1.


omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est. Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum. Quod monet Petrus Apost. Et Paulus: De cetero, fratros, gaudete, Perfecti estote. Conemur, qui alios ad pietatem hortamur, Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo IESU. quod erat votum ejusdem Apostoli. Quilibet sibi dictum à DEO existimet, quod audivit fidelium pater Abraham: Ambula coram me & esto Perfectus: ut commendationem mereatur, quam habuit Noë, qui placuit DEO, quia fuit Perfectus in generationibus suis, & cum DEO ambulavit. In omnibus operibus tuis, præcellens esto, urget Ecclesiasticus: Præcellens sive Perfectus esto in operibus naturæ & gratiæ, in corporalibus & spiritualibus, & exterioribus & interioribus, & quibuscumque aliis, nam, qui in omnibus dicit, nullam excipit.

VERVM, præter hanc Perfectionem universalem communem, & si ita liceat nominare vulgarem, quia cunctis, qui Christiana professione censentur, præscribitur, & est quadamtenus præcepti: nam omnibus mandatur, ut in suo statu, officio, gradu sint exacti, præcellentes, perfecti, observando mandata omnia divina & humana, ad ipsos spectantia; est alia Perfectio singularis, propria quorundam, & egregia, & passim Evangelicæ, præcepti universim, sed Consilii, quatenus extendit se ad observationem non solum præceptorum, sed etiam Consiliorum Evangelicorum: nimirum, quæ per Evangelium, non tanquam ad salutem necessaria, sed veluti suscipientibus magis expedita, atque utilia, à Christo, non præcipiente quidem sed consulente proponuntur; & principalia sunt tria: videlicet, Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur. Vtraque Perfectio est

Tectum

(a) Pet. I. cap. I. (b) 2. ad Corinz. 13. (c) Ad Coloss. I. 25. (d) Gen. XV. 1. (e) Gen. VI. (f) Eccl. XXXIII. 23.

*Tectum Domus Sapientia* : utraque suas habet tegulas, sic voco functiones peculiare virtutum ac consiliorum, quæ efficiunt, quod in culmine domus aut templi regulæ, tum hamatæ, tum foraminosæ: utraque Ædificium tuetur à tempestate ingruente & incommodis. Sed prior illa regulas habet veluti vulgares & terreas, ut sunt testæ latæ vel rotundæ in civium ædibus; posterior, fortissimas, simulque elegantissimas, tanquam æneas inauratas in Duorum templis: nam tanta & major est differentia inter opera bonorum religiosorum, & secularium, quamvis in suo ordine perfectorum. Sed reverà, *Perfectio* omnis hujus vitæ, Religiosorum etiam, tantum est inchoata suis permixta imperfectionibus, à quibus non depurabitur, nisi quando, & ubi, *Corruptibile hoc induet corruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem*, 1. Corinth. xv. Quam non nisi in Domo Sapientiæ alterius vitæ consequemini.



## NOTÆ.

§. **T**ECTVM ad usum accommodatum ex Architectura præscripta & gentium diversitate, est varium. Aliquot genera hic apponuntur. *Tectum planum*. Quale fuit Templi Ierosolymitani, & communius Palestina & Ægypti. Vilalpand. Tom. 2. lib. 4. cap. 23. pag. 287. *Tectum pectinatum*, Festo, quod in duas partes de vexum est, & pectinis instar factum Vitiuvius vocat Displuviatum, quod utrimque diversa quodam hinc inde pluviam demittit. Cujusmodi fere sunt hoc tempore Tecta in Europa. *Tectum testudineatum*. Vitru. quod in quatuor partes de vexum est. Item, quod fornicatum, concameratum, incurvum, convexum, testudinis more. *Tectum imbricatum*, regulæneum, quod ex imbricibus & regulis confectum. Imbrex autem est talis vel regula Curva per quam imber defluit. Itaque quod imbricatum figuram refert imbricatum etiam dicitur. *Tectum scandulare*. Apud ægyptios scandulus concinnatum. Idem nomen competit in Tectis

scilicet è saxo laminis constans, in quo laminarum ordines mutuo se  
scandunt.

§. TEGVLA, qua tecta sternuntur, ad pluvias, & alia arcenda:  
sic dicta quod domos togat.

§. PERFECTIO. ] De hoc argumento scripsere plurimi. S. Au-  
gustinus lib de Perfectione Iustitia tomo 7. Commentatores Evangelio-  
rum, Matthai v. & XIX. Hieronymus Platus, Iacobus Alvarez de  
Pax, Alfonso Rodericus, titulo Exercitium Perfectionis.

Vide qua diximus Opusculo 3. Sermone 5.



ARCHI-